



Poesies de
Samuel
de Ternat
fils de l'illustre
mathematicien.

—

Voir: Biographie
Loubousaine -

tome 1. p. 223.

P/ XVII-385

DISSERTATIONES TRES,
QUARUM PRIMA EST,
DE RE MILITARI,

S E V

DE QUIBUS DAM LEGIBUS
Romanis ad utramque militiam, sacram
scilicet ac profanam, pertinentibus.

SECUNDA,

DE AUTHORITATE HOMERI
apud Jurisconsultos.

TERTIA,

DE HISTORIA NATURALI.

Accesserunt quadam Carmina.

S. F. S. T.

T O L O S Æ,
Apud JOANNEM PECH, Comitiorum
Fuxensium Typographum, sub Signo
Nominis J E S U. 1680.





ILLUSTRISSIMO DOMINO
D.CAROLO SANCTAM AURÆO
DUCI MONTAUSERIO,
FRANCIAE PARI,
REGII UTRIUSQUE ORDINIS
EQUITI TORQUATO,
NORMANNIAE PROREGI,
ET SERENISSIMI DELPHINI
INSTITUTIONI PRÆFECTO.

EXIGVÆ differ-
tationes istæ tui ,
VIR PRÆSTANTIS-
SIME, patrocinio nominis
indigent, nec contemnenda
ā

forent, si tuo probarentur
perspicacissimo judicio quod
omnes litterati suspiciunt.
Quem enim latet nisi pror-
sus barbarum quanta sit in-
genii tui sagacitas & do-
ctrina? Quis ignorat à te
dignosci quidquid magis-
tersum & reconditum Ro-
ma, quidquid elegantius
& sublimius Athenæ pro-
tulerunt? Quis mores tuos
ad normam emendatos &
civilem ac militarem pru-
dentiam non miretur? Sed
in tuas laudes jam excur-
rere mihi non animus est,
quibus celebrandis vix pa-
res sunt tot egregii scrip-

tores qui te ut generosum
Mecænatem, ut Ducem &
Moderatorem equissimum
venerantur. Quin et si rem
tam arduam aggredi mihi
fas esset, intam angusto at-
que obscuro loco, opusculo-
rum scilicet hujusmodi li-
mine, tot virtutum &
eximiorum facinorum latè
splendentem imaginem po-
nere non magis deceret
quam ostium adibus longè
preciosius moliri. Silentia
tamen prætermittere non
possum adeò sincerè & san-
ctè in illo honorum culmi-
ne impleri à te leges amici-
tiae, quæ raro colitur ab

iis quos omnes colunt, ut
non solum infelices amicos
diligas, sed etiam eorum erga
te merita ipsis quibus imme-
rito premuntur infortuniis
augeri videantur. Ita liben-
ter in medio aulae strepitu
implorantium voces exau-
dis, ita benignè privatis
adesse gaudes, tot inter cu-
ras verè publicas, quarum
tibi finem proponis ut per-
fectum undique principem,
id est **L V D O V I C O**
M A G N O similem sere-
nissimum **D E L P H I-**
N V M orbi terrarum
exhibeas. Humanitas au-
tem illa tua, quam exper-

*tus ego sum , adhuc magis
elucescet , si munusculum
hoc non respucas quod ut ob-
sequii erga te mei quale-
cunque pignus offero ,*

Tibi addicissimus
S. F.



AD NYMPHAS

MONTIS PYRENÆI,

Cùm nuntiaretur illarum
aquis sanatum fuisse illu-
strissimum Ducem Cursio-
lium , illustrissimi Ducis
Montauferii Generum. An-
no 1667.



UÆ vitreis inclusæ antris per sa-
xa Pyrenes
Arcano ægrotis munere fertis
opem,
Morborum , Nymphæ , viðrices
fundite lymphas ,
Übere nunc venâ purior unda fluat.
Heroum quem vulneribus servare foletis
Oprtatum laticem nunc referare decet :

Hauriat ut medico certam de fonte salutem

Cvrsor ius reddi quem memor aula cupit.
Ille per Hungaricas valles, dum barbara sternens
Agmina Threicii frangeret arma ducis,
Sectatus nimium rapido discrimina gressu,

Poplite confosso membra labare dolet.

Telephus haud tantos potuit perferre dolores,

Cum miser hostili cœpit egere manu.

Jam morbum nostis, Nymphæ, & sanare potestis,

Ecce moras optat rumpere laudis amans;

Dumque scit ad messem palmarum currere Gallos,

Ipse sibi sua jam præripienda putat.

Inusat nec fata pius, sed pectore fortis

Præditus, ingenio major ubique nitet.

Sic varias jungit mirando fœdere dotes,

Montosides nati quem velit esse loco:

Montosides bell'i socians pacisque labores,

Quem Mavors & cum Pallade Musa beat;

Castalii decus hoc fontis, clarumque Parentem

Quæ radians mentis lumine Nata refert,

Unanimi vos corde rogant, ut fragmina teli

Eliciat charo corpore lympha repens.

Ergo agite, huic vitam, Nymphæ, servate precamur,

Quem Nympha incolumem quælibet esse velit.

Quis surdas fore vos credat? non irrita felix

Nuntius ægrotō vota fuisse docet.

Hunc reducem audimus, sanato poplite, culmen

Montis Achillæo jam superare gradu:

Ceu Leo, cum rupto prodit de carcere, pugnas

Spirat & huic vires addidit ipsa quies.

Lethæo immunes eritis mox flumine, Nymphæ,

Cursolium memorans vos quoque fama caner.

Quas referent vobis grates, hoc fospite, Virtus

Et Bellona simul, Pieridumqne cohors?

Vulneris è vestro manat quæ fonte medela,

Sanguinis & luctus fons erit illa Tago.



DE EODEM,

*SEQVANIS, IN QVOS ADEO
fortiter pugnavit, iterum subactis.*

Sensit & invictas stupuit Vesontio vires
Cursolii, quas jam Dola subacta probat.
Has celebrat dum fama, sonant juga celsa Pyrenes,
Nympharum saliens plaudit & ipse chorus.
Spes non vana fuit, videt hoc gens Sequanā, cernit
Latus Arar Dubis * fata timenda Tago.

* *Dubis fluvius vulgo le Doux, Vesontionem Sequanorum seu Burgundiae Comitatus oppidum medium secat, & Dolam alluit.*





DE RE MILITARI

SEV

DE QUIBUS DAM LEGIBUS

Romanis ad utramque militiam,

Sacram scilicet ac profanam pertinentibus,

DISSERTATIO.



Aximum Romanæ prudentiæ specimen in legibus, quæ pertinent ad rem militarem cluccescere semper existimavi, & hanc juris partem summis vigiliis excultam fuisse in Republicâ, cuius decus & tutamen in armis. Mirabatur Marcus Tullius equitum peditumque descriptionem, ut divinitùs constitutam, sed antiquam disciplinam, & servatum constanter in tumultu bellorum ordinem quis satis laudare possit?

A

Unde non immeritò idem orator Tuscul. i. *Quid loquar de Re militari, in qua cùm virtute nostri multum valuerint, tum plus etiam disciplinâ?* Licet enim inter arma silere leges dicantur, si quis attentè perpendat, quæ tam prudenter à Romanis circa militiam sancita sunt, in ipsis castris eas vigere, & arma præsidio legum egere, ni fallor, fatebitur. Habant & olim, ut de Achæis Homerus scribit, suum tribunal, suas aras castra, è quibus pleraque sunt ad altaris ministros translata. Hæc scilicet pars juris civilis adeò latè patet; ut non solùm per varios illius titulos diffundatur, sed etiam multa contineat, quæ jus Pontificium imitari non designatur. Si quis verò Romanam prudentiam circa rem militarem, exterorum potius quàm nostrorum scriptis commendare vellet, plurima è Polybii, Vegetii, Lipsii, & Gothescalchi operibus in hanc rem desumi possent, scd unicus Pandectarum de re militari titulus, uberem plerisque commentariis, nedum exiguae dissertationi materiam præbere potest. Hanc autem à jurisprudentiæ studio-

sis minùs respuendam existimavi, si quædam illinc delibarem, quæ tam sapienter à veteribus circa rem militarem constituta sunt, quæ magis procul dubio mirari liceret, si integri extarent libri quos Julius Paulus, Arrius Menander, Macer, & Paternus hac de re scripsierunt.

In omnibus scilicet hujus tituli legibus maxima disciplinæ & exercitationis cura observari potest. Sic l. 6. ff. de re militari Menander definit omne delictum esse militis, quod aliter quam disciplina communis exigit, committitur, veluti segnitiae crimen, vel contumaciæ, vel desidiæ; exercitus vero nomen ab exercitatione traxit l. 1. ff. de re militari, &, ut Vegetius loquitur, lib. 2. cap. 1. *exercitus ex re ipsâ atque opere exercitii nomen accepit, ut ei nunquam liceret oblivisci quod vocabatur;* ita severè, ut docet qui de Gymnasticâ scripsit, apud maiores exercitii disciplina servata est, ut & doctores armorum duplicitibus remunerarentur anionis, & milites qui parum in illa prolusione profecerant, pro frumento hordeum cogerentur accipere, nec an-

De re militari.

te eis in tritico redderetur annona , quām sub præsentia Præfecti legionis, vel tribunorum , vel Principum experimentis datis ostendissent , se omnia quæ erant in militari arte complevisse. Gymnastica bellica non minùs corpori civili utilis, quām alia corpori naturali : unde non mirum si Jurisconsultus doceat l. officium ff. de re militari præcipuum officium Tribunorum esse vel eorum qui exercitui præsunt , milites ad exercitationem producere.

Adulteri , vel aliquo judicio publico damnati, inter milites non sunt recipiendi l. qui cum uno §. 7. ff. de re militari , nec immerito , nam facinorosi & refugæ poenatum, tortores potius vitare velle, quam hostes quærere videntur.

In bello qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur , etiamsi res bene cesserit l. desertorem §. in bello ff. de re militari : nec enim, eventu felicitate, cœpti temeritas aboletur. Cui non nota severitas Manlii Torquati, qui filio mandata prætergresso , licet victori , non pepercit , cumque fustuário supplicio

De re militari.

5

necavit ut ait Livius? Hac de re Poëta 6. Æneidos.

Sævumque securi

Aspice Torquatum.

Sic Cæsar lib. 7. de bello Gallico, concione advocatâ, temeritatem cupiditatēque militum ac licentiam reprehendit, quòd plus se, quàm Imperatorem, de victoriâ atque exitu rerum sentire existimarent; nec minùs se in milite modestiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem desiderare asseruit.

Disciplinæ magis memores Trojani & ideo laudati 9. Æneidos.

*Ergo etsi conferre manum pudor
iraque monstrat,*

*Objiciunt portas tamen, & præcepta
faceſſunt,*

*Namque ita diſcedens præceperat
optimus armis*

Æneas.

Si quis in acie prior fugam fecerit, spectantibus militibus, propter exemplum, capite puniendus est, ut ait Arius Menander l. omne delictum §. 3. ff. de re militari: sed multò magis damnanda ducis quàm militis fuga. Sic

Cæsar lib. 1. de bello Gallico , initium ejus fugæ à Dumnorige , atque ejus equitibus factum esse (nam equitatui, quem auxilio Cæsari Ædui miserant , Dumnorix præerat. } eorumque fugâ reliquam esse equitatum perterritum scribit. Non igitur immerito Synesius tam lepidè deridet Epist. 104. ventosum quemdam Thrasonem, qui, in pace, leone audacior videri volebat, & in ipso vel minimo discrimine cervo timidiор visus est ; itaque mihi videtur , (ait Synesius,) *hanc aliquis meritò bello habere gratiam, quòd certissimus sit sanguinis cordi circumfusi index , & multos glorioſos assumens moderatores nobis reddat :* & paulo infra eādem epistolâ viri imaginem exhibit qui imperatoris partibus fungi volebat, & rei militaris imperitus nova cudebat vocabula, clamans in frontem , in phalangem, in cornu, magnum agmen quadratum; sic enim interpretatur Turnebus verba illa. Βοῶν ἐπὶ μέτωπον ἐπὶ φύλαγγα, καὶ πατὰ τὸ κέρας πολὺ , τὸ πλαϊσιον : paulo aliter interpungit Petavius , legit enim καὶ πατὰ τὸ κέρας πολὺ , & hunc locum ita vertit *hoc identidem inclamans, in frontem, in pha-*

*langem, & ad cornu sæpius, & quadra-
tum oblongum ingeminans.* Obiter au-
tem notabo legendum videri non
~~πλανός~~ sed πόλεις πλαισίον, sic namque pers-
picua magis & Synesio dignior erit hu-
jus loci sententia, vox autem πόλεις res-
pondet voci *versa* quæ in libris Au-
thorum Romanorum rei militaris vel
Tacticēs frequenter legitur.

Marcianus l. milites 9. & Macer l. mi-
lites 13. ff. de re militari docent milites
prohiberi agrum comparare in eâ pro-
vinciâ in qua bellica opera peragunt,
& his legibus consulitur tum militi-
bus, ne studio culturæ à signis avo-
centur, tum Provincialibus, ne vilio-
ri quam par est pretio prædia distrahe-
re cogantur, res enim est imperiosa
timor.

Qui præpositum suum protegere
noluerunt vel deseruerunt, occiso eo,
capite puniuntur l. desertorem §. ult.
ff. de re militari, qui præpositum suum
non protexit cum posset, in pari causa
factori habendus est. Sed & in eos qui
Præfectum centuriæ à latronibus cir-
cumventum deseruerunt, animad-
verti placuit l. omne delictum §. pe-

nult. & ult. eod. tit. nec immerito res tam sapienter constituta , & tanti momenti, saepius legitur hoc tit. nam si novellâ Constantini Porphyrogenetæ de militibus , quemadmodum caput in corpore , sic exercitus in republica esse dicitur , quidni illius capitis veluti cerebrum aut mentem Præpositum vel Ducem esse existimemus , qui dum milites tanquam artus regit , paratas in illis ad suam defensionem manus semper habeat ?

Hæc pauca sufficerent ad probandum Romanorum circa rem militarem prudentiam è titulo de re militari desumpta , in quo nulla ferè lex occurrit , quæ veterem illam sapientiam non spiret , & ad disciplinam non referatur sed prudentiam illam nihil magis commendare videtur , quam quod jampridem à jurisconsulto non obscuri nominis observatum est , milites scilicet cleri , in multis similes esse militibus facili . nec enim vocabula duntaxat utrique militiæ sunt pleraque communia , sed etiam statuta , quod non nullis exemplis confirmare forsan operæ pretium erit .

Calumniæ vel litis causâ militiæ no-
men dare vetitum est : nequeunt pari-
ter ordinari obligati ad ratiocinia.
Corpore debilitati non referuntur in
numeros, tanquam ad labores vel cer-
tamina parum idonei : idem obtinet
in clericis, ut constat tit. de corpore vi-
tiatis non ordinandis. Milites condu-
ctores esse non possunt I. milites 31. C.
de locato , ne scilicet à signis avocen-
tur, ubi domicilium censentur habere
I. municeps ff. ad municipalem : id
quoque constitutum est circa Cleri-
cos , quibus non licet sacerularibus ne-
gotiis se immiscere. Prohibetur etiam,
Constantini novellâ, cuius apud Har-
menopulum extat epitome lib. I. tit. 16.
ne quis militem tanquam colonum
detineat , (sic intelligenda sunt illa
verba ἐν ταρόκαι λόγῳ , licet Harmeno-
puli interpres in editione Dionysii
Gothofredi vertat, *tanquam advenam*)
Si quis verò militem hoc modo deti-
nere deprchensus sit, aureos sex pœnæ
nomine persolvere damnatur ; legen-
dum namque οξεῖς, οὐ δισπατιώτης &c. non
ut vulgò malè οξεῖς, ut hæc sit sentētia
illum nempe qui militē , coloni loco,

detinuerit , damnari persolvere sex aureos, quorum dimidium miles , di- midium fiscus consequatur. Quam conjecturam , quæ sequuntur in eâ. dem constitutione , licet ad aliam spe- ciem referantur, fulcire possunt , ἐξ νο- μίμων ταῦτα εἰσπαραχθήσεται , sex nummos præ- stare cogetur. Hanc præterea emenda- tionem & explicationem fragmenti Constantini novellæ , textus integræ constitutionis confirmat. Exsectos ad Clerum accedere prohibuerunt Ca- nones Apostolorum 21. & tres sequen- tes; excipiuntur talia per vim passi, vel propter morbum à medicis exsecti can. Si quis à medicis dist. 55. cap. 5. extra de corpore vitiatis non ordinan- dis , veluti propter elephantiam sive lepram , quam constitutionem sum- mus antecessor illustrans obser. lib. 17. cap. 24. Åtij, vel Archigenis loco pro- bat spadonem vel fœminam ferè nun- quam elephantiâ corripi. Jus verò quo cayetur Clericos ἀλοκλήρους esse oportere à jure civili alienum non esse patet l. qui cum uno ff. de re militari, & illius consuetudinis origo ad legem Mosis Levit. c. 21. referri potest quâ

repellebantur à Sacerdotio , qui corporis aliqua parte mili*li* essent. Huc pertinere potuit Atheniensium mos , cuius meminit legū Atticarum interpres , ut qui militiæ nomina dabant Ephebi nudarentur , quâ scilicet inspectione dignoscabantur si quid in illis vi*ri* esset.

Sic etiam qui se sponte digitis truncant terrenæ & cælesti militiæ sunt inepti l. 4. C. Theod. de Tyron. Can. qui partem 55. distinct. hi veteri verbo Murci vocabantur. Notandus autem Ammiani Marcellini locus de Gallis , *nec eorum aliquando* , ait ille lib. 15. *quisquam munus martium pertimescens pollicem sibi præcidit , quos jocalter murcos appellant* , ut docet Cujac. Obs. 15. cap. 11.

Emansori Clericus qui diu abfuit æquiparatur , deserteri seu magno emansori qui perdiu , trans fugæ Apostata , vel qui Clerici mores & animum exuens clero seculum præfert , & Mammonæ servire mavult quam Deo; nam vincere nolle atque ultro se dedere videtur , qui tanti præsidii , sacræ nimirum professionis monumentis

non confidit , vel se tueri nescit. Sic jure civili pro transfuga habetur qui in præsidio captus est l. non omnes §. qui captus ff. de re militari. Nec me latet summo antecessori legendū videri in profugio, non in præsidio lib. 6. cap. 26. observ. Si quis verò vulgarem letionem retinere malit, observare poterit , hīc non agi de vero transfuga , sed de eo qui pro transfuga habetur, qualis est is qui in præsidio capitur , quem potuisse non capi credibile est. Idem definit Jurisconsultus dicto §. de eo qui captus non redit , cùm potuisset redire.

Odit facinorosos & castris ejicit militia ; arcet scelestos , & clero repellit Ecclesia. Servi milites esse prohibentur l. II. ff. de re milit.l. super servis C. qui militare possunt vel non : sic quoque servi non ordinandi sunt , ut Canonies Concil. Toletani , & Pontifices sanciunt tit. 18. lib. 1. Decret. vetantur jure civili servi militare , & meritò quia ingentes & elatos militum animos esse decet , qualēs vix unquam reperiri possunt in humili servorum conditione , quæ sæpius , ut egestas ,

cogit ad turpia. Unde conjicere licet non valde tutum fuisse herum illum qui, ut Photius è Ctesia refert, mille servos ad bellum ducebat, cui forsan innato servorum erga Dominos odio magis metuendum erat suum illud servile quam hostile agmen.

Sed quemadmodum hac in re Juris-consultorum placita, vel Imperatorum constitutiones æmulari Pontifices voluerunt, sic etiam veterum militum aurei illius circa disciplinam seculi mores Clerici referre non erubescant; nam quæ tunc temporis abstinentia, quæ sobrietas fuit in castris, quæ castitas & continentia, quot vigiliæ, quot labores? Abstinentiæ totius agminis memorandum exemplum refert Frontinus lib. 4. cap. 3. *Vniversi quoque exercitus* (ait ille) *continentia sepè notabilis fuit: nam Scaurus tradidit pomiferam arborem, quam in pede castorum amplexa fuerat metatio, postero die, abeunte exercitu, intactis fructibus relietam.* Panis militaris cuius apud Plinium mentio lib. 18. cap. 9. subitus aut subcineritus erat, nec benè vel diù excoctus, sed & sine pane sæpius

utebantur pulte , unde *pultiphagi* à Plauto dicti: nullum in his castris in conviviis vinum Falernum , cuius rei testis Plutarchus,cùm de Catone censorio loquitur , de quo Lucanus ait , *hic epulae viciſſe famem: & Spartanus de Pescennio* , qui cùm milites in Ægypto vinum peterent , respondit , *Nilum habetis & vinum petitis ?*

Aberat etiam cum vino à castris luxuria. *Haud fruſtrà placitum olim* , ait Tacitus annalium. 3. *Ne fæminaे in socios aut exteris gentes traherentur, inesse enim mulierum comitatui quæ pacem lusu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessūs convertant.* Non absimilem disciplinam Friderici primi temporibus viguisse probat Guntheri Poëtæ in Ligurino locus , vel potius lex ista.

Non erit in nostris nobiscum fæmina castris :

Qui reus extiterit , spoliis nudatus abibit ,

Turpiter & naso mutilabitur illa refecto.

Tunc igitur aberat castris impudicus amor , sed aderat & fervebat no-

bilis amicitia. Quanta verò fuerit apud Romanos fides , etiam inter æmulos & infensos , multis exemplis probari posset. Sufficiunt duo notatu digna. Primum è Commentariis Cæsaris de bello Gallico lib. 5. defustum est. Narrat eo loco Cæsar, cùm Eburones, Aduatici, & Nervii legionē quæ cum Quinto Cicerone hyemabat oppugnarent , fuisse in ea legione fortissimos Centuriones Pulsionem & Varenum, qui perpetuas controversias inter se habebant , uter alteri anteferretur. Ii,cùm extra munitiones processissent, sibi vicissim opem tulerunt, atque ambo incolumes summa cum laude pluribus interfectis rediere , *sic fortuna, ait Cæsar, certamen utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset, neque dijudicari posset uter utri virtute anteferendus videretur.*

Alterum insignis inter hostes fidei & benignitatis ac fortitudinis exemplum occurrit apud Xiphilinum in narratione Cremonensis Vitellianorum, quibus Dux non aderat, cum Vespasiani copiis pugnæ ; *cui verò mirum non videatur, ait Xiphilinus, quod cùm*

*muli*eres ex oppido *esculenta* & poculen-
ta noctu ad Vitellianos attulissent, non
modò seipsi cibo potuque, sed etiam aduer-
sarios refecerūt: vocabat quisque adver-
sarium nominatim (omnes enim se se no-
verant, ac tum agnoscebant) accipe, in-
quit, mi commilito, ede, non enim tibi
gladium præbeo sed panem. Accipe rur-
sum & bibe: non enim tibi scutum sed
poculum trado, ut sive tu me interficias,
sive ego te, moriamur facilius, atque ut
ne me enervata aut imbecilli manu oc-
cidas, aut ego te.

Prætcreà quām crebra fuerint Ro-
manorum exercitia, quanti sudores,
Polybii testis oculati, & omni excep-
tione majoris authoritas fidem facit.
Est etiam insignis, hac de re locus Jo-
sephi, magni quoque historici, & re-
rum bellicarum peritissimi, quod si quis,
ait ille, Romanorum ordinem in militiâ
inspexerit, videbit hoc grande imperium
eos habere virtutis meritum, non fortuna
beneficium, non enim initium illis ar-
morum bellum est, nec solùm, cùm usus
aut necessitas est, manus movent, in pa-
ce feriati, sed tanquam congeniti armis
nunquam pausam exercitii faciunt nec
sanè

sanè erraverit, qui dixerit exercitia eorum pugnas sine sanguine, pugnas verò exercitia cum sanguine esse.

Ferunt Romani milites, ait Cicero Tuscul. 2. plus dimidiati mensis cibaria, ferunt si quid ad usum velint, ferunt vallum. Nam scutum, gladium, galeam, nostri milites in onere non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus; arma enim membra militis esse dicunt, quæ quidem ita geruntur aptè, ut si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possent. Quid exercitatio legionum? Quid ille cursus, clamor, quanti laboris est? Ex hoc ille animus in præliis paratus ad vulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem, mulier videbitur.

Ad hos autem labores alacri animo tolerandos, ad pericula contemnenda, milites spe præmiorum, & honoris ac privilegiorum commodis invitabantur; plurima namqne privilegia viventibus illis & morientibus concessa passim in juris libris occurrunt, quorum nonnulla recensere non piget.

Militi post impleta viginti stipendia nunquam indicuntur sordida munera

l. 2. C. de re militari ; his enim immunes esse debent nobiles militum animi, quos ut decora , non vilia cogitarent, cavit Imperator l. 15. C. eod. agrorum cultui , animalium custodiæ , & mercimoniorum quæstui , non esse depuntandos. Et, ut Leo milites negotiari vetuit , sic etiam negotiatores militare prohibuit Justinianus l. unica C. negotiatores ne militent. Eâdem fortè ratione promulgata fuerat lex à Thebanis , cuius meminit Aristoteles polit. lib. 3. cap. 3. quâ nemo habilis erat ad honores Reipublicæ suscipiendos, nisi qui integro priùs decennio à mercatura destitisset.

Omissio inventarii non obligat militem æri alieno ultra vires hæreditatis l. ult. C. de jure deliberandi ; *arma enim magis quam jura milites scire decet*, ut ejusdem constitutionis initio Justinianus ait , unde meritò Cujacius docuit ad Nov. 1. cap. 4. ignoscendum militi, si ignorantia legis Falcidiæ, quibusdam solvit integra legata. Nam per constitutiones principales, ut Paulus definit l. 3. de juris & facti ignorantia , miles jus ignorare potest. Unde rescribitur

I. i. C. de juris & facti ignorantia, *littere militi, post sententiam, suis defensinibus uti.*

Miles qui sub armata militia stipendia meruit, catenus, quatenus facere potest, condemnatur l. miles 6. ff. de re judicata, l. item ff. eod. Id autem extenditur ad milites cœlestis militiæ. Stipendia & annonæ militum judicati causâ capi non possunt l. stipendia 4. C. de re judicatâ. Cujacius ad Nov. 53. Sic & constitutionibus regiis, stipendia officialium palatinorum, & militum capi non possunt, præmia verò Athletarum possunt capi, l. commodis ff. de re judicata; sed spes eorū præmiorum, quæ pro coronis Athletis pensitanda sunt l. unicâ C. de Athletis, privatâ passione pignorari minimè potest.

Milites ob omissas professiones, pœnâ commissi non tenentur l. omnibus C. de vectigal. & comm. Et res militum usui paratae, præstationi vectigalium non subjiciuntur l. locatio § 7. ff. de public. & vectig. In quo titulo forsitan observatione non indignum est, cùm agitur de rebus quæ nequeunt exportari, vel hostibus vendi, statim prospic-

ci militibus, vel rei militari, cùm in il-
lius tractatùs limine videamus cautum
esse , ne quis cotem ferro subigendo
necessariam , vel ferrum hostibus ve-
nundet, quod sine periculo capitis non
licet. Quod autem Jurisconsultus à
cote orditur , acutum reddere quæ va-
lcat ferrum, exors ipsa secandi , id in-
nuere potest, quanti hunc lapidem gla-
diis acuendis aptum Romani fecerint,
unde Poëta Æneidos 7. *subiguntque in*
cote secures. Imperator ipse Cretæ co-
toria locasse dicitur l. Cæsar ff. eod.
& Agamemnon apud Homerum Ilia-
de β , cum milites hortatur ad pug-
nam , exemplò monet , ut hastas
acuant & scuta aptent.

Ἐν μὲν τις οἴρου ἀπεξάτω καὶ αὐτοίδα θέσθω.

Priùs meminit eorum, quæ fortiter
dimicantibus erant usui , quām illo-
rum, quæ defensioni idonea erant, ut
in prælio decet ; magis enim tunc
oportet hostibus invadendis strenuam
operam navare, quam sui ipsius curam
gerere. Cotem verò quæ in d. l. ferro
jungitur, plurimi faciebant, propter
ferrum quo nihil magis in bello ne-
cessarium fuit, iis temporibus, quibus

nondūm invento pulvere Pyrio non alius fuit plumbeæ glandis usus, quām cùm fundâ mitteretur. Tantus autem fundæ impetus fuisse dicitur, ut glans sæpe liqueceret in medio cursu. Testes adhibentur Ovidius, Lucanus, & Statius; sed si quis Poëtæ testimoniū respuit, Poëta qui Philosophis accensetur id afferentibus non deest, Lucretius inquam, apud quem legitur.

Plumbea verò

*Glans etiam longo cursu volvenda
liquefecit.*

Imò & Philosophus Poëtis non annumerandus testis accedit Seneca: *aëra motus* (inquit ille) *extenuat*, & *extenuatio accendit*; *sic liquefecit excussa glans fundâ*, & *attritu aëris velut igne distillat*. Verumtamen magnorum testium pace, nec non Justi Lipsii, qui illorum autoritate nititur, libro de militia Romanâ, hac de re dubitari posse dixerim, cùm nec igneo pulvere, glans sclopeto emissa, liquefcat. Incaiuisse plumbum Balearicâ fundâ jaçtum, credibile est, illud autem attritu aëris velut igne distillasse, non facile credam.

Sed ut ad rem redeamus , & p̄tivile-
gia militum ; quis nescit multas iis im-
munitates , ac veteranis , imò & arti-
ficibus ad rem militarem idoneis , con-
cessas fuisse , titulis Pandectarum de
excusatione munerum , de veteranis , &
de jure immunitatis ?

Maximum autem militibus conce-
ditur privilegium l. i. C. de in inte-
grum restituzione militum , & l. i. C.
quibus non opponitur longi temporis
præscriptio , ut scilicet iis , dùm in ex-
peditione sunt , nulla possit opponi
præscriptio. Hoc autem privilegium
rationi valde consentaneum videtur.
Quid enim æquius est , quàm ut ii sua
non amittant , qui aliorum bona tue-
tur , & ut militibus nulla jure civili
negligentia noceat , dùm vigiliis , &
laboribus , publicam securitatem fir-
mant , eorumque periculis reliqui ci-
vies tranquillè fruuntur ?

His , quorum meminimus , privilegiis ,
& aliis plerisque , milites dùm vivunt
frui possunt ; morientibus etiam mul-
ta concessa sunt privilegia ; quæ circa
ultimas voluntates versantur , quo-
rum nonnulla titulo de jure singulare

Oldendorpius enumerat. Plura titulis ff. & Codicis de testam. milit. recensentur : Sed & mortuis quædam competere videntur privilegia , quæ ad eorum successores transeunt ; sic profundamissi in acie liberi parentibus, & vicissim parentes liberis l. bello amissi ff. de excusat. tut. apud Justinianum tit. de excusat tut. & l. 3. C. de fil. official. Vtrumque summæ non minùs prudenter quam æquitatis fuit ; hæc enim honoris æquè ac bonorum continuatio , hæc velut mutua gloriæ successio , & nominis immortalitatis , quæ nomen inane non est , certa spes , calcar currentibus ad bellum addunt. Multi quidem sentiunt , quod acuti vir ingenij dicebat , *si post fata venit gloria , non propero* : non mediocre tamen luctus solarium est , honor utilitati coniunctus. Sic etiam parens , qui se non omnem moriturum , & alimenta liberis relietur norat , audacior fiebat , & lumentius periclitabatur. Nec exscribere piget dictam legem 3. de filiis officiium qui in bello moriuntur ; nam authoris illius constitutionis paternam erga milites & eorum liberos pietatem ostendit. Sic enim se habet.

Si quis quocumque modo militans in bello moriatur, filius ejus si unus sit, vel ex multis maior natu, statim in locum eius succedat, & easdem annonas accipiat, si pater usque ad Biarchi duntaxat gradum pervenerit; quod si altiorem obtinuerit, veluti Duxenarij, aut Centenarij, filius ejus fiet tantummodo Biarchus. Manifestum autem est majorem natu, in quem ejusmodi solatum conferatur, fratrum suorum curam habiturum. Notari potest, latius patere beneficium d. l. 3. quam concessum d. l. bello amissi, solatum, quod eos tantum completitur, qui in acie ceciderunt, dicta vero lex 3. in gratiam omnium, qui in bello, & quomodocumque moriuntur, lata est. Sic titulus 7. Basilica qui nihil aliud quam dictam constitutionem continet, inscribitur, ἡπὶ τῷ ἐν πολέμῳ αἰτιθυσκόντων. Extant etiam inter leges Atticas hac de re duæ pulcherrimæ, quas earum collector sic interpretatur. Mutilati in bello publicè aluntor; curanto liberos, parentes eorum qui in bello occubuerunt; ne quā injuriā afficiantur parentes, liberi de publico educantur & instituuntur, armisque

armisque instructi ad sua mittuntur negotia, primisque in theatris sedes occupanto.

Præmia verò militum, quām varia fuerint, quot coronarum genera, quām celebres ducum triumphi, plurimi scriptores tradiderunt. *Hæc tot & tanta fuerunt*, inquit Verulamius, *& tam insigni splendore coruscantia, ut per eorum mortalium maximè conglaciatis igniculos subdere, eaque ad bellum inflammare potuerint.* Ante omnia verò, mos ille triumphandi apud Romanos, non res erat ex pompâ, aut spectaculum quoddam inane, sed inter prudentissima planè nobilissimaque instituta numerandus; ut pote qui in se hæc tria haberet, ducum decus & gloriam, ærarii ex spoliis locupletationem, & donativa militum. Unde observatione dignum est in titulis ff. & Codicis de re milit. in legibus militaribus Rifi, & in capitularibus Caroli Magni, multa de poenis militum statui, de præmiis verò nihil. Librum etiam singularem de poenis militum scripscrat Paulus, de præmiis nemo. An quòd metum frænum esse potentius quām spem, vete-

res & recentiores existimarentur? Sic Clearchus dux Lacedæmoniorum , ut ait Frontinus lib. 4. cap. 1. exercitui dicebat Imperatorem potius quam hostem metui debere , significans eos qui in prælio dubiam mortem timuerent , certum , si deseruissent , manere supplicium. Sed quis nescit , quis expertus non est , verum esse quod Ciceron ait Philippicâ 2. *bonum faciebat timor non diuturni magister officii?* Maluerunt igitur , quod facile crediderim , milites lege puniri , à duce remunerari , ut poenarum odium & invidiam ab Imperatoribus averterent , præmiorum verò gratiam ipsis relinquenter illibatam. Et in hac re potior esse videtur hominis quam legis conditio , cum ex hominis arbitrio pendeat , quod optimum est & maximi momenti in expeditionibus , præmiorum scilicet dispensatio. Nam ut docet Vegetius lib. 3. cap. 26. regulas bellorum generales enarrans , milites poena & timor in sedibus corrigunt , in expeditionibus spes & præmia faciunt meliores. Elegans hac de re legitur apud Onosandrum in Strategi-

co comparatio , quâ patet æquissimum esse, ut præmia militibus concedantur , licet altum de præmiis in legibus Romanis silentium.

Idem observari potest de constitutionibus Gallicis quæ pertinent ad artem & disciplinā militarem, in quibus plurimæ poenales occurrūt, unica duntaxat, ni fallor, remuneratoria, Blcsensis nimirum articul. 290. quâ cavetur , ut aureos annulos duces militibus largiantur, qui strenuam in bello operam navarunt : Sunt tamen eximiæ militares leges Gallicæ , quæ nec Romanis nec Atticis sunt postponendæ. Tanta etiam in Gallicis statutis circa rem militarem nauticam , elucescit prudentia , tanta morum & disciplinæ cura , ut author egregii operis de Hydrographia, nautas Barbaros non esse audacter asserat , & naves in quibus hæc statuta observantur, asceteriis & strictioris regulæ cœnobiis æquiparare non dubitaverit. Verum in Romanis & Gallicis circa militiam legibus, inter desiderata forsitan referri poterit, quod in Atticis hac de re coruscat , quarum, unâ ut diximus, cavetur alen-

dos publicè mutilatos in bello : sed quod in Gallicis non reperitur legibus , id paternus Legislatoris animus supplet, illos non deferentis, qui dum vires suppeditabant, ipsi nunquam defuerunt , quique superstites non integri , postquam sui partem victori impenderunt, illius gestorum ac beneficiorum praecones adhuc spirant. Id abundè testatur celebre mutilatorum seu invalidorum hospitium, regiae æquitatis & liberalitatis monumētum ære perennius. Ædes illæ quibus nihil elegantius , inter bellicos strepitus extructæ sunt, &c, ut par erat, dotatæ, quarum in limine posteris patebit, Ludovico Magno regnante , dum illius laboribus & victoriis Galliarum fines promoverentur , benigno simul ipsius aspectu liberales artes mirum in modum exultas, eiusdemque curis ac munificentia mutilatos erga milites , superatam Romanorum providentiam fuisse.

His satis, ni fallor, liquet, multa privilegia, multa præmia concessa fuisse militibus, quibus hac in re non absimiles sunt Clerici, cùm nec illis sua desint pri-

vilegia, suaque præmia. Sunt & adversus Clericos statutæ pœnæ, sed mitiores : maxime Ecclesia sanguinem suffundere quam effundere ; decebant nimis in cruentam & spiritualem militiam, in cruentæ & spirituales pœnæ. Signum in quo vincit, ferro non indiget, & magis Ascetarum maciem quam Athletarum lacertos exposcit. Dicebat olim J. Cæsar *idem esse sibi consilium adversus hostem, quod plerisque medicis contra vitia corporum, fame potius quam ferro superandi* ; indicat interdùm Ecclesia pœnitentiam potius quam pœnam, ut ruborem pudoris sequatur pallor jejunii, cuius virtutem divinâ facundiâ solidis veræ doctrinæ fundamentis suffultâ, prædicat Basilius Magnus Sermone 2. de jcjunio, ubi pulcherrimam utriusque militiæ comparationem proponit. *Qui ad expeditionem se accingunt, ait ille, non ad voluptatem sed ad usum duntaxat necessaria comparare solent: nos autem qui ad bellum adversus invisibles hostes eximus, iisque profligatis ad caelestem patriam properamus, nonne multò magis oportet, instar eorum qui in castris ver-*

santur, rebus ad victum necessariis contentos esse: mundi quidem militibus ratione laborum augetur annona; spirituallum vero militum qui minus ciborum habet, majorem ille dignitatem adipiscitur. Hæc moribus primùm, deinde eloquio statuebat vir piissimus, quo nemo melius norat, spiritualis militiæ mercedem omnibus sæculi militum præmiis non minus antepondam esse, quam æterna temporalibus, & cœlestia terrenis. Cùm autem hominis universa vita militia sit, illud utrique militiæ commune est, ut coronari non debeat nisi qui legitimè certaverit.

CAPVT VLTIMVM

Tacticorum Imperatoris
Leonis, præceptis strenuo-
doctoque Principe dig-
nis refertum, & Impera-
torii operis, nec non mili-
taris disciplina veluti Sy-
nopsis, ut purpureus pan-
nus, hic consui poterat.
Sed cùm id opus Lugduni
Batavorum Typis excus-
sum, facile reperiatur, &
caput illud ultimum, ope
manuscripti codicis opti-
mae nota, plerisque men-
dis purgaverim, quæ
Meursii diligentiam effu-
gerant, cuius etiam non-
nullas interdùm conjectu-

ras confirmavi, varias
lectiones aut emendatio-
nes, numeris paginarum
ad quas referuntur addi-
tis, apponi sufficiet. Cùm
autem Elzeviriana editioni
desit interpretatio
quorūdam locorum ad re-
ligionem Catholicam per-
tinentium, quibus Author
ad veri numinis cultum,
Et reverentiam erga Mi-
nistros altaris, non mi-
nus piè, quàm eleganter
hortatur, eorum quæ Gra-
cè duntaxat ibi leguntur
Latinam versionem, qua
sequitur, adiiciendam
existimavi.

Art. 8. Deò te oportet rerum omnium, quæ ad Dei cultum pertinent, ô Imperator, præ cæteris curam gerere, & in primis servare honorem & obsequium Sacerdotibus, Episcopis, & aliis ipsius famulis, ac sanctis illius templis debitum, ut qui ad ea confugiunt, ibi asylum reperiant, nec inde avelli possint absque Imperatorio rescripto.

Art. 9. Veneranda Monachorum Asceteria custodire decet, ut & eos qui illè virginitatem colunt, ab iis omne damnum ac vim propulsare, &, ut uno verbo dicam, quæcumque Deo dicata sunt honorata & contumeliae immunia tueri.

Art. 10. Neminem finas, aut profanum, aut tyrannidem affectantem, violentas manus Dei famulis inferre, neque in eos te ipsum excandescere oportet, nec quemquam alium cui sub tuo Imperio militaris aut civilis dignitas credita est, sed tanquam Deo addictos ipsos essenoxà & injuriâ liberos.

Art. 11. Præsertim Præfules & Pastores hominum, tum præfatio-

rum tum subditorum, qui nos Deo conciliare student, omni honore prosequi, & nihil in eorum iniuriam admittere decet.

Art. 12. Nam quæ fiunt in ipsis, ad Deum referuntur, à quo episcopatum acceperunt, quo pascere animas & erga Deum intercedere solent; sunt enim Sacerdotes, ut anima quædam sparsa per totum corpus Christiani populi, illudque vivificans, mentem ac ducem Regem omnium Deum habens, ab ipso, quæ ad corporis totius gubernationem & administrationem necessaria sunt, deducens ac circumferens.

Art. 62. Illius autem, quod circa sacra versatur, ministerii sunt hæc: divina ut par est tractare & curare, ut illa semper exercitus piè peragant, juxta traditas fidelibus Christianis leges, benedictionibus scilicet, & sacrificiis, & aliis precibus ad Deum instanter effusis, & ad ipsius omnino immaculatam matrem ac deiparam, & sanctos ipsius famulos, quibus placatur numen, & per fidem salutis militum animi fortiores ad pericula parantur.

Art. 68. Perficiant autem sacra
Sacerdotes puritate vitæ venerandi,
& moribus inculpati, qui finem ope-
rum suorum ad Deum referant, cui
bonorum omnium datori Anacepha-
laosin ac finem huius operis de re-
gendi exercitus peritiâ consecramus.





AD CAPUT ULTIMUM.

Tacticorum Imperatoris
Leonis,

Ab Elzeviriis editorum,

Variæ lectiones aut emendationes.

PAg. 418. art. 10. βεβηλῶν, scribendum
βέβηλον.

Ibid. αὐτὲς ὡς κτῆμα τῷ θεῷ, scribendum
κτήματα θεῷ. art. 12. ἀρχομένων καθέστηκεν εὖ,
scribendum ἀρχομένων καθέστηκε, νεν.

Pag. 419. art. 14. πολέμις κατάρξης, scrib. ἀπαρ-
ξης.

Pag. 420. art. 18. καὶ τῆς ἀλλις σφαγηκῆς ἐπ-
μελέιας, scrib. καὶ τὰς ἀλλις σφαγηκᾶς ἐπμελείας.

Art 20. καὶ διὰ πνὸς δυπάντης, scrib. καὶ
πνὸς χρύση δυπάντης.

Art. 21. ἦτοι πρὸς τὰς ἀνδρεῖας καὶ ὁξυτέ-
ρας, scrib. ἦτοι πρὸς τὰς ἀνδρεῖας καὶ ὁξύτητας.

Pag. 421. art. 23. τῶν ἀντιπολεμών φυχὰς κα-
τὰ δ', scrib. καταδελεν ἐντέχνως.

Art. 26. καὶ τῆς τῶν πολεμών ἐντυχίας, scrib.
ἐντυχίας.

Pag. 422. art. 27. καὶ τὸ ποιέτε πρόπτε, scrib.
καὶ τὸ ποιέτε πρόπτε.

Art. 29. σωθαῖον ἀναραγῆναι, scrib. σπα-
δαῖον εἶναι.

Art. 30. κελένειν, addendum ἐπισήμεως.

Pag. 424. art. 42. οὐκὶ τὸς αἰπόρεος ἔυπορος
ἐκ τῶν ἴδιων, scrib. vel addendum τὸς ἔυπό-
ρεος ἐκ τῶν σῶν ἔυποροτέρεος ποιῶν.

Pag. 425. art. 45. εἰδίποτε καὶ ναυαρχίας ἐπισή-
μεται, scrib. εἰδίποτε καὶ ναυμαχίας κυρὸς ἐπι-
σήμεται.

Ibid. τὰς ἄραγίας, scrib. τὰς ἄραγίας.

Pag. 426. art. 47. καὶ εἰς σενὸς τάσσες δὲ ἔυρυ-
χωρίας μηταβαίνοντι καὶ αὐτὸς σενῶν τόπῳ εἰς ἔυρυχω-
ρίαν καθισαμένῳ scribendum ἐξερχομένῳ.

Ibidem μελλαγῇ αὐθρόῳ, scrib. μεταλλαγῇ αὐ-
θρίδᾳ.

Art. 48. ἵνα δι' ὅλιγων πειθῶνται, scrib. ἵνα
διὰ λόγων πειθῶνται.

Pag. 427. art. 52. ὄπλιπκή, addendum λο-
γιστική.

Art. 54. τὸν φερόντων ἀντὰ σωμάτων, scrib.
τοὺς φέρουσιν ἀντὰ σώματιν.

Art. 56. ταῦτα μὲν τὰ ὄπλιπκά, scrib. τὰ
ἔστατικά.

Pag. 428. art. 57. ἐπλέξασθαι τὸ λοιπόν,
scrib. ἐπιλέξασθαι τὸν λοιπὸν.

Pag. 429. art. 60. τοξοβολίσπες, scrib. το-
ξοβολλίσπες.

Art. 61. ἀσοχεῖνται, scrib. ἀσοχεῖντες.

Pag. 430. art. 61. ἐντέχων, scrib. ἐντέχειν.

Art. 63. διατύχει, scrib. διὰ τύχη.

Ibid. σωμάτων ἀπεργούσιαν, scrib. κακογίας.

Pag. 431. art. 66. τὴν ἡ τεκτονικὴν, scrib. τὴν ἡ τακτικὴν.

Art. 67. οὐδετελόσων, scrib. οὐδετελέσων.

Ibid. αἰοεῖται, scrib. Αἴεῖται.

Art. 69. νήφεως πλέιστος, scrib. νήφεως πλέιστης.

Pag. 432. art. 71. ἄλλος ἐπ τε, scrib. ἄλλος ἐπ τε.

Pag. 433. art. 72. ἐγχειρίτως, scrib. ἐγχειρίστως.

Art. 73. ἔχεων, scrib. ἔχθρῶν.

Ibid. σωτηρίας καὶ νίκης, scrib. σωτηρίας καὶ νίκης.





DE AUTHORITATE
HOMERI
 A P U D
 JURISCONSULTOS
DISSERTATIO.

Quanta fuerit Homeri authoritas apud veteres Jurisconsultos, multis legibus facilè probari potest, ut nemini, qui vel extremis (ut aiunt) digitis jurisprudentiæ libros attigerit, ignorare licet. Illud prosector observatione forsan & admiratione dignum, unius Homeri sapientius in Pandectis & Institutionibus mentionem fieri quam omnium simul, quotquot fuere Poëtarum, Oratorum, imò & Philoso-

phorum qui tantâ Jurisprudentibus necessitudine conjuncti videntur. Sed minimè vituperandi qui è capite quām è rīvis aquam ducere maluerunt; cūm ferè omnem antiquam sapientiam ab Homero tāquam ab inexhausto Oceano manasse multi existimaverint, ut Eustathius in limine doctissimorum commentariorum audacter afferit & plurima apud Aristotelem nec non apud Platonem (quod ipse Porphyrius philosophus fatetur quæstione 15. in Homerum) illinc deprompta, abunde testantur. Unde non immerito fons ingeniorum à Plinio vocatus fuit Homerus lib. 17. cap. 5. Eademque metaphora in pulcherrimis Manili versibus occurrit, in quibus de Homero dicit,

*Cujusque ex ore profusos
Omnis posteritas latices libavit & il-
lum*

*Ausa est in tenues fontem diducere ri-
vos*

Vnius fæcunda bonis.

Sic Lucretius lib. 3.

*Adde Heliconiadum comites, quorum
unus Homerus*

Sceptra

Sceptra potitus.

Et Theocritus Idyllo 16.

ἄλις πάντεσσιν Οὐμηροῦ.

Satis omnibus Homerus.

Quidquid autem senserit invidus Homero-mastix & quodam Platonis loco perperām accepto confirmare conatus fuerit, sumimus Philosophus, qui Philosophorum Homerus à Panætio dicitur, summum poëtam quem διύταν vocat, valde coluit, ut dialogus cui titulus Ion, sive de Iliade & pleraque alia satis fidem faciunt in dialogis de Republicâ & de legibus, in quibus solida, & maximi ponderis præcepta Homericis fundamentis superstruere Plato non deditur. Meminit idem philosophus in Hipparcho legis Atticæ quam tulerat Hipparchus Pisistrati filius, quâ cavebatur ut Panathenæis majoribus Homeri carmina recitarentur, καθ' ἐκάστην πενταεπίδαι μὲ τῷ Οὐμῆρῳ επιστρέφεσθαι. Quin & ipse Pyrrhon, qui suâ non minus in laudandis hominibus, quam in opinioribus probandis epochâ videtur usus fuisse, mirabatur Homerum (ut Diogenes Laërtius refert) & sibi habe-

bat in ore Homericum illud,

ὅμηρος φύλακων γένει, τοίν δὲ καὶ ἀνδρῶν.

*Quale foliorum genus tale etiam vi-
rorum.*

Licet verò è decem Platonis de Republicâ & duodecim libris de legibus, earum conditores uberrimam segetem collecturi viderentur, inde tamen unam duntaxat spicam (ut ita loquar) fatentur se decerpssisse. Semel enim tantum in jure laudatus est Plato l. 2. ff. de Nund. ubi illius auctoritate commendatur utilitas nundinarum.

Aristotelis mentionem fecit Julianus l. si pater ff. de solut. ut quinque simul pueros uno partu nasci posse illius testimonio probaret; nec alterius legis memini, in qua nomen occurrat tanti Philosophi, tot eximiis scriptis præsertim de legibus & moribus aedè præclari, ut illum, multi naturæ genium vocaverint, plures adhuc ipsum Ethicæ & Politicæ oraculum vocari posse contendant.

Pauca etiam è Chrysippi acervo desumpta, cuius nomen non nisi semel (ui fallor) in Digestis occurrit l.

2. ff. de legibus in qua definitio Legis tanti Philosophi verbis illustratur: fuit tamen Chrysippus summæ Stoicæ sapientiæ, ut ait Marcianus; multa quoque scripsit à jure civili non aliena, ut conjicere fas est è præcipuorum illius librorum, qui à Diogene Laertio recensentur, catalogo.

Præterea Jurisconsultos ferè omnes à Stoicis imbutos fuisse, docet Cujacius Observ. l. 26. cap. 40. quod variis argumentis confirmat, & potissimum l. proponebatur ff. de Judic. ubi Philosophos qui dicebāt, nos particulis minimis constare, easque quotidiè è nostro corpore decedere, & in eorum locum alias extrinsecus accedere, Stoicos fuisse probat; quæ primâ fronte potius ad Democriti vel Epicuri doctrinam referenda quilibet arbitretur, nisi perpendat quām parūm circa physicam Zenonis porticus distet ab hortis Epicuri. Idem existimasse Epicharmum, qui Pythagoræ auditor fuit, nemo inficiabitur, cùm sequentes illius versus legerit.

Ἐν μεταλλαγῇ δὲ πάντες ἐν τῷ πάντα τὸν χρόνον
καὶ τὸ δὴ καὶ γὰρ χθὲς ἄλλοι καὶ νῦν ἄλλοι τελέθομεν

Κἀνθισ ἄλλοι καὶ ποιεῖ αὐτὸν κατὰ τὸν λόγον.

*Omnis enim semper mutantur
Et tu, & ego, heri alij & nunc alij
sumus*

Ac rursus alij, & nunquam idem.

Ἐμέν τε καὶ ἐκεῖνοι, sumus & non sumus, id est, non sumus iidem, ut ait Heraclitus, cuius sententiam Plato in **Cratilo** fusius explicat, λέγει τοῦ Ἡεράκλειτος ὅπ πάντα χωρεῖ καὶ διέν μένει καὶ πολαμεῖ ποὺ ἀπεργάτων τὰ οντα λέγει, ὡς δῆς εἰς τὸν αὐτὸν πολαμεῖ καὶ ἀν ἐμβάντος. Omnia mutantur, nihil inde eodem statu permanet, nec bis in eodem flumine navigare possis. Quae sati probant sententiam illam de perpetuâ rerum mutatione, quam cœcis corporibus natura gerere à Lucretio dicitur, non solum Stoicis sed etiam nonnullis aliis veterum philosophorum tribui potuisse.

Forsitan & recentioris Physicæ vindex accrimus, qui ut patet è scripto numero edito, novi systematis antiquissimam originem in Genesi aut videt, aut vidisse putat, si incidisset in hanc singularem legem de particulis minimis, opiniones quas mordicūs tuetur, ci vilibus æquè ac sacris legibus nisi contendisset.

Sed ut ad rem redeamus, cùm semel tantùm mentio fiat Chrysippi Jurisconsultis tot rationibus laudandi, qui fulcire putabatur Porticum Stoïcorum, ut eleganter ait Cicero Academicarum quæstionum lib. 2. **Quis** hac in re Theophrasti eandem sortem fuisse miretur? licet enim in duabus legibus illius nomen legatur l. 6 de legib. & l. 3. si pars heredit. pet. hæ leges unius vice funguntur, cùm eadem istius Philosophi sententia in illis referatur, & ex eodem libro Pauli 17. ad Plautium sint desumptæ: in dictâ autem l. 3. si pars hered. pet. ubi dicitur vix quemquam scire posse, quot simul paritura sit quæ gravida est, nam multa de hujusmodi re tam varia & incredibilia creduntur, ut fabulis adnumerantur, obiter notabo quibusdam legendum videri non (creduntur) sed (traduntur) nam si incredibilia quare creduntur? si creduntur, cur fabulis adnumerantur? **Quâ** emendatione, licet parvi momenti, verbis sequentibus ejusdem legis confirmatâ, nævum ex cå tolli posse putant. Usus est tamen non absimili loquendi modo, nec

ineleganter Tacitus Ann. 4. quamvis
fabulosa & immania credebantur (ait
 ille) & paulò infrà , *mihi tradendi ar-*
guendique rumoris causa fuit, ut claro
sub exemplo falsas auditiones depelle.
Ierem , peteremque ab ijs quorum in ma-
nus cura nostra venerit, ne divulgata at-
que incredibilia avidè accepta veris, ne-
que in miraculum corruptis, antehabeant.

Hippocratis unica duntaxat in Pan-
 dectis occurrit sententia, ut probetur
 eum, qui centesimo octogesimo secun-
 do die natus est , justo tempore natum
 esse , nec videri in servitute con-
 ceptum, cum mater ejus ante 182. di-
 em esset manumissa l.3. §.ult. ff. de suis
 & legit. Et tamen divini Senis perspi-
 cacissimum ingenium facem præferre
 potuisset ad multa rectè definienda,
 quæ circa varios juris articulos ad me-
 dicinam pertinent.

Nec amplius quàm unum (ut ita lo-
 quar) favum à Jurisconsultis ex Apis
 illius Atticæ Xenophontis operibus
 delibatum reperias , licet in iis utile
 dulci adeò peritè mixtum inveniatur,
 ut eorum authorem non tantùm stu-
 diis in umbra educatis, sed & ipsis quo-

que rerum documentis, & civili non minùs quàm militari prudentiâ fuisse clarissimum, omnes fateantur. Xenophontis autem locus, quem innuo, refertur l. 233. §. telum de V. S. & apud Justinianum de pub. judic. §. 6. sicut lex Cornelia.

Demosthenis maximi apud Græcos Oratoris, jurisprudentiâ non minùs quàm facundiâ celeberrimi, in duabus solùm legibus sit mentio l. 2. ff. de ll. & l. aut facta ff. de pœnis. ubi definitur, quâ ratione dignosci possit, an factum levius vel atrocius sit, in qua lege notari potest, eam scilicet, quod in nullâ aliâ reperitur, Demosthenis simul & Homeri testimonio insigniri.

Ciceronis prudentissimi Philosophi æquè ac disertissimi oratoris mentio semel tantùm in Jure sit l. 39. ff. de pœnis, in qua ex illius oratione pro Cluentio dicitur Milesiam quamdam mulierem, quòd ab heredibus secundis acceptâ pecuniâ, partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam.

Virgilij cuius sine honore ac laudibus nemo recordari potest, meminit

Jurisconsultus l. 6. de divis. rer. & qualit. ut ejus auctoritate probaret Cenotaphium religiosum esse; sed, ut legge sequenti patet, Divi fratres contra rescripserunt.

At quām plurimis Homeri locis placita sua non solum ornare, sed etiam confirmare gaudebant Jurisconsulti, & ipse Justinianus, qui dum ad eum tam frequenter confugiebant, non mediocre pondus illius verbis inesse docuerunt, & quantum auxilij latura esset illius authoritas quem in suas partes quilibet trahere conabatur.

Hoc unico satis exemplo probari posset §. 3. de empt. & vendit. apud Justin. Nam cum magna animorum contentione, inter Sabinum & Proculū disceptaretur, an permutatione rerum contraheretur emptio, an verò permutatione propria esset species contractus ab emptione separata, Sabinus qui in re putabat pretium posse consistere, argumento utebatur (hæc sunt ipsissima Justiniani verba) græco poëtā Homero; sed Proculus diversæ scholæ princeps, cuius opinio prævaluit, contra sentiebat, aliud permutationem,

tionem , aliud venditionem esse , & ipse aliis Homericis versibus adjuvabatur, ut ait Imperator.

Idem quid sit mortis causâ donatio definit tit.de donat. §. 2. ac velut oculis subjicit exemplo illius quam apud Homerum Telemachus in Piræum confert.

Idem quoque tit. de lege Aquilia §. 2. quæstionem quæ ad legem Aquiliam pertinet , Homeri testimonio decidere non veretur.

Plures ejusdem Poëtæ versus referuntur à Paulo l.1 ff. de contrah.empt. nonnullos quoque refert Modestinus l. non facilè ff. de grad. & affin. Homericum præterea locum adducit Ulpianus l. si uxor ff. ad leg. Jul. de adult. utitur etiam Poëtæ testimonio Claudius Saturninus l. 16. de pœnis , ut ostendat quâ pœnâ apud Græcos fortuiti casus luerentur.

Nec Homeri autoritatem exigui ponderis esse Caius existimavit , cùm ipse doceat se à summo Poëtarum admoneri l. qui venenum ff. de V. f.

Suam præterea sententiam confirmat Homeri loco Papinianus l. 9. ff.

de supellecstile legata , ut me nuper monuit vir clarissimus & doctissimus , qui saeculi Vattro nuncupatus fuit ab eximio scriptore , D. Menagius libro cui titulus , Amœnitates juris civilis , iterum edito Lutetiæ Parisiorum anno 1677 , in quo pag . 459 nimis honorifice dissertationis hujus meminit .

Nec silentio prætermitti debet eximium illud Homeri encomium , quod licet breve magni tamen panegyrici instar est , & in Justinianæ constitutione ad Theophilum , Dorotheum , & alios antecessores post promulgationem juris librorum datâ legitur ; Imperator enim in ea constitutione , dum Poëtæ versum refert , Homerum ut patrem omnis virtutis laudat .

Exemplo veterum recentiores Jurisconsulti nonnulla Homero accepta referre non erubuerunt ; Id unus eorum , qui mihi omnium instar est , satis ostendit Cujacius eximiis observationum libris , quibus eum non solùm *νομικῶν διδαχῶν* Jurisconsultorum oculum (ut olim Thaleclæum ipse *νόμιμον* fuisse docet) sed etiam *κριτικῶν τῶν ἀνεπάντας* , ut Synesii verbis utar , dici

potuisse constat. Quæ sequuntur illinc excerpta, satis (ni fallor) fidem facient quanti fecerit summus Antecessor Homerum.

Observationum lib. 6. cap. 21. ad illustrandam legem penult. C. ad l. Cornel, de sic. hanc legem quâ homicidium punitur, de Infanticidio quoque intelligendam, auctoritate Homeri probat, qui Illiad. 23. infantis cædem *ἀνδροτασίας* vocat.

Observ. lib. 9. cap. 18. ut ostendat quæ personæ parentum liberorumve loco sint, dum legem quia parentis ff. soluto matrimonio explicat, Homeri verbum adducit, quem ad verbum ferè transtulisse videtur Jurisconsultus,

Observ. 11. cap. 38. notat Caïum Jurisconsultum Grammaticis fuisse familiarem, propter bonarum litterarum & Homeri potissimum tractandi, quæ in eo fuit, peritiam summam.

Observ. 12. cap. 36. Ius vetus esse probat, ut de se quis, & non de alio promittens obligetur 1 stipulatio ista inter stipularem ff de verb. obligat. quod famoso fabulæ exemplo, Neptuni scilicet Martem deprehensum Vulcano

solutarum quod deberet spondentis,
 & Vulcani hujusmodi ptonissionem
 irritam esse dignoscentis, ex Odyss. 8.
 confirmat.

Cap. sequenti ejusdem lib. morem
 veterum qui solebant paria vasorum,
 aut bina paria, vel plura plumbo col-
 ligere, nodo quodam metuente solvi,
 & l. 19. §. 3. de aur. & arg. quâ id de-
 monstratur, illustrat, & duobus Home-
 ri locis ex eodem Odyss. libro, arcas
 olim posito operculo firmissimo, ac
 multiplici nodo colligari solitas osten-
 dit, nondum enim (ait ille) erant in
 usu claves & ferræ, quibus utimur.

Cap. 6. lib. 13. ejusdem operis, si quis
 sine voluntate domini, illius equis in
 spem generis (ut Virgilius loquitur)
 subjecerit equas suas, cum furti teneri
 probat l. si quis uxori ff. de furt. qui à so-
 la submissio furti quoddam genus est,
 ut Homerus declarat Iliad. 5. ac dicitur
 eleganter ab Eustathio ea submissio,
 $\chiλωτή περὶ ὀικονομικὴ$, id est furtum quod-
 dam attenti & diligentis patrisfami-
 lias.

Eodem observ. lib. cap. 23. docet ante
 constitutionem Justiniani l. ult. C. de

recep. arbitr. mulierem integræ opinionis ex compromisso arbitrium recipere potuisse , & patronam saltem inter libertos , ac dominam moribus Galliæ inter beneficiarios aut subditos etiam ordinariam jurisdictionem habere , quod confirmat cap. dilecti. de arbitr. & homeri loco Odyss. 8. ubi Areta uxor Alcinoi dicitur etiam inter viros disceptare lites.

16. Observ. lib. cap.33.versus Homeri qui in Donati loco desiderantur supplet , unde quædam circa jus civile notatu digna elici possunt.

His observationibus nonnullas alias è meo adijciam , non ut eas apponam Cujacianis conferendas , nec enim melatet quantum discipulorum minimus distet à magistro , in cuius verba jurare non pudet ; sed ut his quæ sparsim disjecta erant congestis, qualicumque additamento probationes utilitatis,quam ex Homero percipere potest Jurisconsultus , augeantur , & ut pateat ea quæ hīc referuntur ex utroque jure adeò rationi naturali consentanca esse, ut apud omnes ferè populos etiam remotissimis tem poribus fuerint observata.

Quam meritò prohibeantur clandestina matrimonia , in quibus plerumque sub specie religionis perniciosè erratur , multi canones fusè nos doceut tot. tit. ext. de clandest. desponsat. can. cum inhibitio Conc. Later. sub Alex. III. Tertul. lib. 2. ad uxorem & lib. de pudicitiâ. Hujusmodi conjunctiones matrimonia conscientiæ vulgus interdùm vocat, foedâ tam nominum quam rerum corruptione , & turpi velamine quo coecalibido vilis adulatio nis lenocinio se involvit. Hunc errorem qui reipublicæ commodis non minus quam Ecclesiæ præceptis adversatur, totis viribus infectatus est Illustrissimus Antecessor D. Alteferra utriusque juris & reconditæ antiquitatis peritissimus, soleni oratione quam publicis prælectionibus (ut fieri solet) instaurandis præfatus est. Quamvis autem in tanti viri messem , cui nihil addendum censeo, falcem immitendam non duxerim, obiter tamen ut incepsum prosequar, observare liceat uno aut altero Poëtæ loco probari posse, quam vetus mos sit publicè celebrandi nuptias & clandestinas damnandi. Hujusmodi conju-

gium in votis fuisse nymphæ quæ apud eum Calypso vocatur , tam insulæ illius solitudo , & specus secretum arguere possunt , quām verba quibus Mercurium alloquitur , cum superūm jussu , qui ejus consilium norant & improbaverant , dimittendum Ulyssem nuntiat.

Σχέτλιοι ἐσὲ θεῖς γυλίεωνες ἔξοχοι ἀλλων
δίτε θεάσις αγαύεσθε πάρ' αὐδράσιν ἐννάζεσθαι
ἀμφαδην ἢν τις τε φίλον ποιήσεται ἀκοίπη.

Invidi estis (inquit Nympha dum superos alloquitur)! qui deabus invidetis ut viris concubant palam , si quæ charum nocte sit maritum. Quis cùm hæc leget communem audire non credat querelam carum omnium , quæ cùm se palam connubio iis jungi non posse causantur quos cubili dignari cupiunt , clam nubunt vel nubere putant ? nec enim nuptias verè quis dicat quæ publicè non celebrantur , quod & jam obtinet , & apud antiquos adeò in usu fuit , ut apud Homerum eadem vox & nuptias , & frequentem eorum qui sponsos comitabantur conventum significet : Idque Eustathius docet , cùm vocem γάμου interpretatur Odyss. 1. γάμου (ait ille) σῆμα ἐπι ὅμηρος συνέστησε ἐπὶ τῷ νυμφίῳ συ-

τερπωγῆ, id est frequens eorum cœtus qui nuptias contrahentibus comites aderant. Eum præterea qui ex hujusmodi conjunctione nascitur *σκότιον*, veluti tenebricosum, idem Poëta vocat Iliad. 5. quod Didymus de eo intelligendum docet qui *ἐν λαθραῖς μίξει* clandestino concubitu oritur, & ut eleganter addit *ἐκ τῶν ἀδεσφάχητων γάμων*, id est nuptiis quibus non præferuntur faces quæ præferri sponsæ solebant, ut docet Poëta Iliad. 6.

Nuptias δὲ ἐν δελέμων θαίσιν ἔσθολα μπομενίων ἡγίνεον ἀντὶ ἀσυ πολὺς δὲ σμέναις οὐ φέρει.

*Sponsas autem ex thalamis tidis
subaccensis*

*Ducebant per urbem, multusque Hy-
menaeus excitatus fuerat.*

Unde patet quām connexa sit nuptiis publica & solemnis festivitas, quod ipsum videtur innuere Justinianus l. sanctimus C. de nupt. ubi definit quoties in qualicumque pacto nuptiarum fit mentio, non intelligi conditionem impletam nisi nuptiarum accedat festivitas, & luxor C. de repud. patet, ut Cujacius docet obser. 6. cap. 20. veterem legem esse quæ exigit nuptias fieri palam

lam teste populo & damnat furtivas clandestinasve, quas quidam κλεψίγραπτοι vocant. Reip. enim interest arcanum non esse hunc contractum, unde prodituri sunt in lucem liberi, qui legimi non censentur, aut veri patriæ cives, nisi parentes palam agnoscere possint. Nec jure canonico, ut matrimonium legitimum & ratum sit, mutua sufficit affectio quæ jure civili nuptias facere dicitur, τὸν γάμον (ut aiunt Græci Romanarum legum interpretes) ἡ διάθεσις τελεῖ ἀμοιβαῖα. Ita enim emendandum scholium Pselli ad synopsin Attaliatæ tit. 25. in juris Græco-Romani libris, cum ibi vulgo male legatur τὸν γάμον ἡ ἀδέσμοις τελεῖ ἀμοιβαῖα, quam emendationem quæ sequuntur confirmant, nam appendice (inquit) dotalium instrumentorum opus non est, cum mater contractuum sit affectio, φυτῆρ τῶν συναλλαγμάτων ἡ διάθεσις, ut ait Theophilus.

Licet autem solo consensu contrahi dicatur jure civili matrimonium, non eorum duntaxat qui matrimonio junguntur, consensus requiritur, sed etiam eorum in quorum potestate sunt. Hoc

ius peræquè omnium gentium fuit, ut D. Ambrosius ex quo desumptus est canon honorantur 32. quæst. 2. eleganti Euripidis testimonio probat ; quod adeò verum est, ut filius familias miles nuptias sine patris voluntate rite non contrahat l. 35. ff. de rit. nupt. cùm patris potestate militia non liberet , nec ideo minùs miles obsequatur verecundiæ paternæ l. 7. C. de pat. pot. l. i. ff. de obseq. par. præstand. & non tantum filiæ quæ primò nubit, sed etiam ei quæ dissoluto matrimonio posteà ad maritum regreditur, patris in cuius potestate est , ut legitimas nuptias contrahat, consensu opus est; l. si ut proponis l. vi. duæ C. de nupt. definitur viduas intra quintum & vicesimum annum degentes, licet emancipationis libertate gaudent, tamen in secundas nuptias, sine patris voluntate non convenire. Illius juris antiquitatem , quæ apud Homericum nondum déleta extant vestigia, satis ostendunt Odyss. B. loquitur ibi Poëta de patre Penelopes quæ vidua existimabatur,

Ἴηροις ὡς καὶ οὐδὲν ἔσθισται τὸ θύμα τοῦ

σοίνον οὐδὲν πέπλοι καὶ οὐκεπιστημένον Θεόν τοι.

*Icarii, ut ipse quidem dotet filiam,
Det verò cui voluerit, & ipsi gratus
venerit.*

Ex eodem loco patet quām vetus mos sit sponsalitiam largitatē doti comparandi, & dotem donationi propter nuptias, hæc enim convertuntur, ita ut donatio propter nuptias, contraria dos, & *ἀνηλίκων* non immeritò à Jurisconsultis dicatur, & in his versibus, ut dotem significet Homerus, voce utitur quæ propriè de sponsalitia largitate videtur intelligenda, *εὐθύσαται* ut observant Eustathius & Didymus. Quām verò prisca sit illa sponsalitiæ largitatis & donationis consuetudo, multa apud Poëtam exempla probant.

Donationem propter nuptias olim quoque amissam fuisse adulterio, & partem bonorum ac dotis adulteræ lucro cessisse mariti Cujacius docet observ. lib. 21. cap. 17. & 18. ubi fusè varias adulterii poenas enarrans legem cùm mulier ff. sol. matr. l. consensu C de repud. Novellam Leonis 32. & præterea locum Pauli 2. sentent. tit. 37. illustrat. Idque Vulcani & deprehensæ Veneris cum Marte exemplo confirmari potest,

cùm μοιχάρεα id est poënas exponens adulterii manifesti , Vulcanum Poëta optare fingit ut amantes dolus & vinculum detineat, donec ei omnem pater restituat dotem aut sponsalitiam largitatem,

Εἰσόντες δὲ μάλα πάντα ταῦτα ἀποδύοντες ἔειδον.

Quidquid in calore iracundiæ vel fit vel dicitur , non priùs ratum est, quàm si perseverantiâ apparuit judicium animi fuisse ; ideoque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur , ut docet Paulus l. 48. de reg. jur. & l. 3. de divortiis. Harum legum sententiam satis apertè continent tria carmina , quæ Iliade & leguntur , ubi Juno se Oceanum & Thetin invisuram ait,

*τὰς δὲ μὲν ὁ φομένη, καὶ σφ' ἀκριτα νέκεα λύσω,
ἵδη γέ τινας χρόνον αὐλίλων ἀπέχονται
ἐνυῖς καὶ φιλόπτεροι ἐπεὶ χόλος ἔμπεις θυμῷ,*

Hæc enim verba , χόλος & ἔμπεις θυμῷ animi perseverantiam arguunt , & voices illæ *τινάς χρόνον* , diuturno vel multo tempore , (ut inquit Marcellus l. 33. de ritu nuptiarum) quod cùm opponatur brevi , earumdem legum alteram partem id confirmat, celeri nimirūm poenitentiâ ductam , & citò rever-

sam uxorem non censeri divertisse ; utque versum non dicitur nisi duret versum , divortium non dici quod statim esse definit , ne crebra fiat vel quasi ludibriosa mutatio , ut eleganter in alia hypothesi loquitur Justinianus I. cum aliis C. de curatore furiosi , & tam frequenter redintegrari quam solui matrimonium videatur. Hoc autem loco forsitan innuere voluit Poëta si cōjuges , quorū animis ira infudit , sejuncti degere consueverint , portētosum hujusmodi conjugij fœtum esse *āspīta vāna* ; hinc rixas , hinc controversias , quæ vix dirimi possint , oriri , & deā vindice atque ipsā pronubā Junone dignum fieri nodum.

Maximus est , ut neminem latet , peregrinorum & pauperum favor , quos non tantum lex sacra , quæ charitatem ubique spirat , sed etiam civilis , tuetur , ut in multis juris articulis præsertim in Auth. omnes peregrini & advenæ C. comm. de successi illud I. Sancimus C. de sacros. Eccle. & his quæ ibi notantur , abundè patet. Quis autem benignitatem erga hospites magis suasit , vel æquiorem , ut illam commendaret ra-

62 *De authoritate Homeri*
tionem attullit, quām Homerus sua-
vissimis & verè aureis carminibus qui-
bus ait Odyss. 14.

Ζεῦς οὐ μοι δέμις θέται οὐδὲ εἰ νεώτερον σύθετον ζέλθω
Ζεῖνον ἀπμήσω, περὸς γάρ οὐδὲσσιν εἰσὶν αἴπαντες
Ζεῖνον πλῶχοιτε.

*Hospes non mihi fas est, neque si te
pejor veniat,
Hospitem contemnere, nam ab Iove
sunt omnes
Hospites pauperesque.*

In his tribus carminibus quæ ab ea-
dem voce, quæ hospitē significat, Poë-
ta orditur, Eustathius Schema obser-
vat quod Græcis ἵπαναροεὶ, Latinis re-
petitio dicitur, ut & alio loco Iliad. 16.
figurâ non absimili vox eadem μῆνος
trium initio versuum repetita idem
schema exhibet, & apud Hesiodum
vox ἱώς in ἐργοῖς, ut apud Oppianum,
lib. 4. de venatione vox Ζυνδη: sed hīc
forsitan plus artis latet; innuere enim
videtur Poëta quantūm Eumæo hospi-
tes, & quæ in illis benignè excipiendis
elucescit comitas, cordi fuerint, dum
eamdem vocem ter in ore habet, de
iis enim rebus quas diligit quisque, li-
benter ac sāpiùs loquitur. His versi-

bus alii ex eodem fonte hausti addi possunt, cùm is scilicet qui Antinoum Odyss. 17. objurgat, quod ab eo peregrinus in suis ædibus, & sub mendici larva delitescens Ulysses barbarè cæsus esset, sic eum alloquitur,

Ἐλόμενε ἦ μήτε πεπυργώνθεος οὐτε
καὶ τε θεὸς ξείνοσιν ἐοικότες αἰλούρωσιν
παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστραφῶσι πόλιας
ἀνθρώπων ὑπεριν τε καὶ ἐνυομίνῳ ἐφορῶντες.

*Improbè si forsan, mendicus hic cælestis
Deus est, quid tibi continget?*

Nam & Dii hospitibus similes peregrinis

Versantes se per omnes formas, versantur per civitates

*Hominum & impietatem, & pietatem
inspicientes.*

Quis cùm hæc attentè perpendet, in illis radium quemdam non introspicet veræ lucis, quæ non mediocriter effulget elegantibus illis verbis constitutionis Imperatoriæ quæ in libris juris Orientalis extat, μετὰ γέ τος αἰτοῦντος ἵσαται δὲ Χριστὸς συγκοινωνῶν ἀντῷ πᾶν χεῖρα. Illa autem carmina cordi æquè ac menti altius inserenda essent: nam si Cujacius Christiano dignam vocem Papiniani

existimavit, quæ occurrit l. filius ff. de condit. instit. an non hi quoque versus, si vox illa Διὸς quæ in eorum uno legitur, non de falso Ethnicorum Jove sed de vero numine intelligatur, Christiano digni dici possunt? & vix istis anteponenda est aurea illa ejusdem Juris-consulti sententia l. 7. ff. de servis export. beneficio hominem affici, hominis interesse.

Idem Eumeus qui charitate quam commendant egregia hæc carmina Διῷ dici meruit, hanc laudem confirmat pietate & religione quam paulò infra testatur; nam hospitem tam benignè excipiēs, dum se hominem esse meminit, numinis non obliviscitur Odyss. 14.

Οὐ λίθεται ἀθανάτων φρεσὶ γδέ κέχρυται ἀγαθὸν
ἀλλ' ὅγε ἀπαρχόμενος περιπλῆκτος τοῖχος εἰς πυρ
εἵλλεν
ἀργιόδοντος οἶδε.

*Non obliviscitur immortalium, mente
enim præditus erat bona,
Sed hic primitias delibans capit is se-
tas in ignem jecit
Albos dentes habentis suis.*

Et infra.

ἢ πὰ νοῦ ἀργυματα θύεται δεοῖς αἰενάτεσσι.

Dixit

*Dixit & primitias sacrificavit diis
sempiternis.*

Unde patet quām antiquum & favo-
rabile apud Ethnicos quoque fuerit jus
primitiarum , & quām latè patuerit.

Rusticis & agricolis quos ipsi Barba-
ri illæsos & intactos sinebant , etiam
cum bella maximè ferverent , quià ut
eleganter ait Diodorus Siculus hæc re-
ferens lib. 2. *κοινὸι ἀπάντων ἐνεργέται*, in
commune utiles existimabantur , ru-
sticis,inquam,consulendum & parcen-
dum esse , & illis juris ignorantiam non
nocere , multæ leges nos docent , qui-
que ad eas scripserunt , ac præcipuè
Chopinus , qui docto volumine privi-
legia Rusticorum fusè enarravit. Illud
non tantùm rei rusticæ , quæ commen-
datione non eget , favore nititur , sed
etiam cā juris præsumptione quæ pro-
bationis instar est , imperitiâ scilicet
juris & legum quæ ferè nunquam illis
deest , qui forum vitantes , ut rustici ,
procul negotiis degunt. Hanc præ-
sumptionem satis apertè continet Hom-
eri versus. Odyss. 10.

*Αἴγριον καὶ τε δίκας εὐ οἰδότα καὶ τε δέμισας
Agrestem neque jura bene doctum ne-
que leges.* I

Ut vertit Giphanius Jurisconsultus
Homeri interpres.

Publicæ lætitiae nuntiatoribus præmia
quædam concedenda esse ratio suadet,
& leges fanciunt, ut bella si desinunt,
si oriuntur victoriæ fastus, compositæ
tæve pacis erit offerenda tranquillitas,
modò nihil immodicum ab invitis ac-
cipiant, ne turpi colludio quæratur ex
miseris pretium gaudiorum, ut elegan-
ter Imperatores rescripserunt l. i. C.
publicæ lætitiae vel consulum nuntia-
tores.

Moris illius vetustas Homeri testi-
monio satis probatur Odyssæâ; z, ubi
præmium hujusmodi ἐναγγέλιον vocat,
quod Didymus interpretatur ἀγάθης dy-
γελίας δῶρον.

Vox autem illa non semel legitur
apud Ciceronem epistolis ad Atticum,
in quibus, dum passim occurunt ver-
sus Homerici, docet Orator & Philo-
sophus eximius quanti Poëtam fecerit.

Judicium sortis aliquando licitum,
imò & necessarium esse variæ leges
probant, ut exempli causa l. sed cum
ambo ff. de judic. l. s. ff. famil. ercisc.
& l. ult. C. de leg. quod enim sortitò

obtigisse primâ fronte quis putet, id si attentè perpendat, providentiæ tribuendum existimabit; unde non im-
meritò celebris illius sortitionis even-
tum cujus meminit Josephus lib. 3. de
bello Judaïco, quâ furentium militum
violentas manus elusit in specu, ubi
post expugnationem Jotapata cum il-
lis delituerat, providentiæ se debere
fatetur ille non sorti, vel numerorum
peritiæ, cui id tribui posse, sagacissi-
mus hoc sæculo Geometra credidit &
demonstrare conatus est. Priscis quo-
que temporibus judicium sortis in usu
fuisse testatur Homerus Iliad. ψ.

ἐν δὲ κλήρους ἐσάλοντο,
πάλλε Αχλεύς.

Sic μοῖρας κληροπαιεῖς idem vocat hym-
no in Mercurium partes sorte distri-
buendas, vel quæ sorte obtigerunt. Sed
& quasi tanti Vatis operibus tacita
quædam varicinandi vis inesset, for-
tis judicium olim iis commissum fui-
sse liquet; cui enim non notæ sortes
Homericæ?

Hic observationum fasciculus uber-
rior forsan esse posset, nisi hæc pauca
sufficere vidarentur ad probandam, ut

propositum initio fuit, Homeri autoritatem apud Jurisconsultos. Plura procul dubio didicisse, si audire contigisset quæ acutissimi Vir ingenii, & multis mihi titulis colendus in celeberrimo confessu suo more, id est eruditè & eleganter, non ita pridem disseruit, ut Homerum Virgilio antependum probaret : nec enim in his quæ ad Jurisprudentiam, quam apprimè calleat, pertinent, ipsum sibi, vel Poëtæ laudibus defuisse existimem, præsertim cum in Palatinis ædibus peroraret coram amplissimo Mæcenate, qui eas commune Themidis & Musarum hospitium esse cupit, & inter litteratos ac veræ virtutis cultores locum non minus eximum obtinet quam in Parisiensi Senatu.



DE
HISTORIA
NATURALI.

DISSEXTATIO.

Historiæ naturalis utilitas adcò per se patet , ut commendatione parùm egeat. Non defuere qui illam civili & prophanæ Historiæ prætulerint , naturæ conditoris sapien- tiam hominum prudentiæ ab iis qui non insaniunt anteponendam esse existimantes. Illud profectò constat Physicas speculationes , si quis eas quo decet animo perlegat , Ethicæ non mediocriter opitulari. Quis tot ac tanta pulchritudinis eximiæ & admiratione digna Opera sedulò per-

Iustrans , in ijs fulgentem Opificis manum non veneretur ? Quis hujusmodi contemplatione doctior simul & melior (quæ studiorum meta esse debet) fieri non possit ? Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum , consideratio naturæ : *erigimur , elatiores fieri videmur , humana despicimus , cogitantesque supera atque cœlestia , hæc nostra ut exigua & minima contemnimus , ut ait maximus Orator , & Philosopher academicarum quæstionum lib. qui inscribitur Lucullus.*

An autem Historia naturalis in votis duntaxat , non in rerum natura sit , à quibusdam ambigitur. Illam procul dubio inter desiderata non posuisse illiusterrissimus Angliæ Cancellarius , si extaret egregium illud opus quod sapientissimus Rex conscripsisse creditur de plantis omnibus à cedro Libani usque ad hyssopum , atque de omnibus rebus quibus vita & motus inest. Si haec naturalis historia reperiretur , non magis cum eâ Græcorum & Romanorum lucubrationes conferre liceret , quam humanam Philosophiam

cum divina sapientia. Sed quamvis supernaturalis illius , qui naturæ opes reserabat , Thesauri jacturam nullus mortalium propriâ industriâ supplere possit , non ideo tamen contemnendus Aristotelis & Plinij conatus , qui præcipue hanc Spartam pro viribus nec infeliciter adornarunt , dum iste integrum Historiam naturalem scribere voluit , alter non exiguam illius partem in Historiâ animalium attigit . Quanti verò utrumque fecerit hac in re Verulamius , satis arguunt illius verba quæ cap. 3. lib. 2. de dignitate & augmentis Scientiarum occurrunt . *Satis enim scimus* (ait ille) *haberi Historiam naturalem mole amplam , varietate gratam , diligentia sapientius curiasam ; attamen si quis ab ea fabulas , & antiquitatem , & authorum citationes , & inanes controversias , Philologiam denique & ornamenta eximat , quæ ad convivales sermones hominumque doctorum noctes potius quam ad instituendam Philosophiam sunt accommodata , ad nil magni res recidet : longè autem abest ab ea Historiâ quam animo metimur . Hactenus ille . Sed quam multa*

scitu digna contineat opus tam vari-
um quām natura, quot miranda &
utilia ex hoc Plinij oceano hauriri
possint, quisquis illius oras propiores
duntaxat legerit, facile perspiciet. Ut
autem probare non confido nulos
in hoc immenso mari scopulos, aut
vada periculosa reperiri, nec omni-
bus quae huic authori Baconus obje-
cit, sigillatim respondere velim (quod
nihil aliud esset quām Plinij Apolo-
giam sensim scribere) ita si vires sup-
peterent, illum tueri cuperem adver-
sus eos qui ut mendacissimum imme-
ritò laceſſunt. Quantâ enim diligen-
tiâ, quo studio, & animo constanter
usque ad obitum in hoc scribendæ na-
turalis Historiæ, & quærendæ verita-
tis instituto perseveraverit, abundè
testatur funesta illi observatio incen-
dij montis Vesuvij, quam eleganter
Plinius junior narrat in epistola ad
Tacitum.

Deinde quo mendacia prosecutus
sit odio, satis ipſe docet lib. 37. cap. 2.
dum Sophoclem acriter infectatur,
quod electrum fieri ultra Indiam è la-
chrimis Meleagridum avium Melea-
grum

grum deflentium, afferere non eru-
buisset, vir tantâ gravitate cothurni,
& vitæ famâ, aliâs principe loco ge-
nitus Athenis, rebus gestis, exercitu
ducto clarus. *Quid ergo*, inquit Pli-
nius, *non multa æquè fabulosa produnt*
Poetæ? Sed hoc in ea re quæ quotidie
invehatur atque abundet, e'⁹ hoc men-
daciūm coarguat, serio ⁊ quemquam di-
xisse summa hominum contemptio est, &
intoleranda mendaciorum impunitas.

Addi potest non statim rejicienda
quæ primo intuitu solitas naturæ vi-
res superare videntur, & damnandi ju-
re sunt qui prioniores ad damnan-
dum scriptorem de repub litteraria
tam benè meritum, quæ ipsi nec cre-
dere nec perpendere volunt, à nemи-
ne credi posse putant, sed ab omnibus
spernenda quæcumque ipsi respuunt.
Præterea si quæ apud eum falsa repe-
riuntur, non ipsi sed aliis authoribus
ferè semper tribui possunt, ut videre
licet in hoc cuius suprà memini capi-
te de electro, ubi quamvis plurima
sint valdè suspecta, & quibus ipsius
fidem non adhibuisse verisimile est,
non tamen hæc omnino vana & inu-

tilia posteritati , cui tot scriptorum nomina , quæ alibi non extant, rerumque ab iis inventarum partem aliquam saltem examini subiiciendam reliquit.

In hoc , exempli causâ , famoso de Echeneide (cuius meminit lib. 9. cap. 21.) mendacio , quod ipsi vulgò objicitur , certum est ab illo duntaxat referri quæ Mutianus & Trebius Niger & multi historici decepti , forsitan Plinius , potius quàm decipientes , tradiderant de prætorijs Antonij & Caij navibus , quarum una quinqueremis erat , cuius remigio semipedalem pisciculum intercessisse existimabant , quia is casu quodam lateribus navis adhærens inventus fuerat , damnatusque , licet insons , facti quod obstanti Euripo vel contrariis æstibus tribuendum erat , ut probabile est & perspicaces Physici conjiciunt. *Contingit enim* (ut ait Kirkerus lib. 3. de magnete) *haud infrequenter in freto Siculo , ut ingens navis oneraria omnibus extensis velis , secundo vento , ita in mediis fluctibus hæreat , quasi trabalibus clavis effet affixa , aliis vicinis*

cursum suum tenentibus; quod ipse ut oculatus testis asserit, & saepe Messanenses hoc spectaculo gaudere narrat. Quidquid autem hoc loco & quibusdā aliis falsi occurrit apud Plinium circa Physicam, id tam ubere facundiā & quādam tanti momenti veritate, quæ ad res humanas aut Ethicam pertinet, compensatur, ut interdūm dici de eo possit,

Si non errasset, fecerat ille minus.

Si verò ob nonnullos errores maximum & utilissimum opus contemeretur, mihi sanè videretur una uel altera remora cursum navis tot prætiosis mercibus onustæ impedire, quod dolendum æquè ac stupendum foret. Sed qui hæc non satis perpendunt, parùm abest quin de Plinio, quod de Cretensibus jampridem creditum est, eum scilicet, semper mendacem fuisse suspicentur. Sic Aristotalem, ut Othomannis similem, exhibere conatur Verulamius, lib. 3. Cap. 4. de dignitate & augmentis Scientiarum, dum ait, Aristotalem more Othomānorū regnare se haud posse putasse, nisi fratres suos omnes cōtrucidaf.

set. Quid de tāto Philosopho sentiret, eodem capite satis docuit Verulamius verbis sanè non parùm acerbis, quæ in ipso limine illius Historiæ naturalis, cui titulus *Sylva Sylvarum*, occurunt, ut eam ingredientibus Authoris Judicium de Aristotele, præsertim circa naturalem historiam, statum innotescat. Locum autem integrum exscribere non piget, quia in eo viri ingeniosi facundia elucescit, etiam cùm à vero aberrat.

Aristotelis, inquit ille, *confidentiam subit mirari*, qui *impetu quodam percitus contradictionis*, & *bellum universæ antiquitati indicens*, non solum novi artium vocabula pro libitu cūdendi licentiam usurpavit, sed etiam priscam omnem sapientiam extinguere & delere annis est, adeò ut neque nominet uspiam authores antiquos, neque dogmatum eorum mentionem ullam faciat, nisi quò aut homines perstringat aut placita redarguat. Sed fallitur qui bellum universæ antiquitati contradictionis impetu percitum Aristotelem indixisse putat: eximio quo flagrabat ille veritatis studio bellum erroribus indixit;

nec tamen vera semper docuit aut narravit, ut unico exemplo ex historia animalium desumpto probari potest, ubi scilicet afferit quæcumque animalia à cane rabido mordentur, rabiæ obnoxia esse excepto homine. *Vt nam* (ait hoc loco doctissimus interpres Julius Scaliger) *hominē Philosophus non excepisset*; sed apponi posset, utinam hoc morbo vel periculo excepisset hominem Sapientia quæ naturā regit, magis enim ille casus homini nocere potest quam hic error Philosophi famæ. Tanta verò illa est, ut in illius laudes sequendas Aristotele laudatore opus foret, ut Livius ait de Cicerone qui in Academicis quæstionibus satis ostendit, quanti fecerit Philosophum. *Veniet* (inquit ille) *aureum flumen orationis fundens Aristoteles.* & paulò infrà, *ipsum Aristotelem quo profectò nihil est acutius, nihil politius.* Nemo tamen adeò Aristotcleus esse debet, ut eum opere in longo nunquam dormitasse credat. Nihil sub sole perfectum, nihil nævis caret, imò nec ipse sol macularum expers.

Sed sol iste de quo loquimur, etiam

post occasum , fulgore suo urit æmulus , qui eum scholæ principem vocari ægrè patiuntur. Hinc invidia , hinc belli parùm Philosophici ferè semper origo, quod gloriæ spes in eorum animis accendit, qui se viris illustribus accensi posse putant , modò inter adversarios Aristotelis , licet impares , numerentur.

Sic in unum Cujacium tela convertentes hæc ætas vidit plures non obscuri nominis Jurisconsultos , qui forsan innatâ contradicendi libidine , celebri controversiâ inclarescere cupientes , tanti adversarii famâ suam augere sperarunt , nec erubuerunt vinci , modò cum Jurisconsultorum principe certassent.

Quem verò meta latere potest recensionum quorumdam scriptorum , qui dum πρέσβευς δημοσίου ἀτίκαιον , antiquam doctrinam spernunt (ut olim querebatur Orpheus , vel quisquis ille sit author carminū de lapidibus) & ingenia servitutis scholasticæ jugo se liberare velle simulant , nihil aliud quam novâ dominationem , veteri ac benè fundatâ duriorem , meditantur , & sequaces

per prærupta ducere malunt quām
alios per plana sequi?

In politicis mutationibus qui vetus
imperium subvertere & legitimæ Au-
thoritatis excidio injustam potestatem
stabilire nituntur, dum libertatis, cu-
jus assertores videri volunt, nomen in
ore semper habent, & popularēm au-
ram captant, nihil aliud quām nova
vincula cūdere conantur.

Verum quidem est ingenium in Phi-
losophia liberum esse debere ad gene-
rosos partus edendos, nec eorum fe-
renda pertinacia, qui ad quamcumque
disciplinam fuerint quasi tempestate
delati, ad eam tanquam ad saxum ad-
h̄erescunt, vel qui certis quibusdam
destinatisque sententiis quasi addicti
consecratique sunt, eāque necessitate
constricti, ut etiām ea quæ probare
non soleant, cogantur constantiæ cau-
ſā defendere, ut eleganter ait Cicero
Tusculanarum quæſtionum lib. 2. Sed
non illis assentior qui ideò in Aristotelem
conjurati videntur, quià multi
in illius verba jurant, & quia duci in-
vident, omnes illius propugnatores
Tyroneſ esse probare cōtendunt. Non

igitur contemnenda sunt temerè recentiorum inventa , quamvis vetustatis pondus illis desit , nec respuenda fastidiosè veterum placita , licet novitatis illecebris careant. *Novitates* (ut ait Tullius lib. de Amicitia) si spem afferunt , ut tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat , non sunt illæ repudiandæ , vetustas tamen suo loco conservanda est.

Quod autem Philosopho obiicit Verulamius , neminem antiquorum ab eo nominari , satis ipse Aristoteles vel illius operum lectio refellit , in quibus saepc Socratem , Platonem , Democritum , Epicurum & alios complures , saepissimè Homerum laudari patebit.

Empedoclis etiam , quem ut Homericum extollit , pluribus locis meminit Aristoteles , quod unico exemplo demonstrare sufficiet è libro de respiratione desumpto , ubi elegantissima Empedoclis carmina leguntur , quæ forsitan alibi non extant ; quibus satis liquet celebrem de aëris gravitate hypotesin , quæ multis experimentis mirum in modum à subtilissimis Geometris

metris Torricellio & Paschalio promota fuit , Agrigentino illi Poëtæ & Philosopho ignotam non fuisse. Nec latuit ea gravitas aëris non minùs perspicacem & doctum quàm facundum præsulem D. Basilium , ut locus ex homilia i. in Gen. fidem facit , *ἴ γὰς ἀρπὸς τὸ ἀνω ὑπερχεομένη τῷ συμπιέζοντος.*

Hæc abundè, ni fallor, testantur an æquus fuerit Aristoteli Verulamius; sed an ipse censuræ memor , quod in Philosopho animadverterat, effugerit, facile dignoscet quisquis sciet eum Aristotelis semel duntaxat recordatum fuisse in Sylva Sylvarum (hic enim est titulus historiæ naturalis Baconianæ) ut illum non perfunctoriè carperet.

Aristoteles (inquit Verulamius experimento 5.) ineptam reddit causam quare plumæ avium vividi magis sint coloris quàm pili bestiarum , nulla enim bestia cyani lapidis vivæque carnis colorem representantes aut virides pilos habet ; causa est (ait Aristoteles) quòd aves frequentius in radiis solis versentur quàm bestiæ. Sed hoc manifestè falsum est , nam pecudes crebriùs in sole agunt quàm aves , quæ

plerumque in sylvis aut umbraculis vivunt : verissima causa est quod humor excrementitus qui aquè constituit plumas in avibus ac pilos in bestiis, in avibus tenuiori ac delicatiore colatur transmittatur quam in bestiis, plumæ enim transseunt pennas, pili vero cutem. Haecenius Illustrissimus censor. Ubinam autem hanc attulerit rationem Aristoteles, nescio; id planè scio, quod apud eum legitur cap. ult. lib. de coloribus non parùm conferre ad illius sententiam hac de re intelligendam. Cùm enim docuit coruorum plumas in colorim flavum aliquando mutari, ex pilis vero, inquit, nullus neque prasinum seu viridem, neque omnino alium hujusmodi colore habet, quoniam omnes hujusmodi colores fiunt, cùm ipsis miscetur radij solis : inde patet sensisse Aristotelem, eò magis vividos colores esse, quò plures ipsis miscentur radii, variè scilicet refracti, quod pro variâ corporū texturâ diversimodè poros dispositos habentiū aliter atque aliter fieri solet. Sic Lucretius lib. 2.

*Gaudaque pavonis largâ cum luce
repleta est.*

Addi etiam posset non latuisse Aristotelem, corpora quò magis ad solem accedunt, eò minùs terrestria esse, & dum in aëre subtiliori versantur, leviora fieri, quod ut volare possint necessarium est : unde magis vividi in illis esse debent ac saturi colores, cùm terrenis vaporibus fucati vel obscurati minimè fuerunt. Siquis autem Aristotelis fautor acerbus non solùm illius causam propugnare, sed etiam adversarium oppugnare vellet, dubitari forsan non immeritò posset, an tenuior illa colatura quam supponit Baconus & transitus plumarum per pennas, vividum illarum colorem luce Aristoteleā clariùs explicit.

Sunt & multa alia in *Sylvâ Sylvarum* seu historiâ naturali Verulamij quæ in dubium revocari posse mihi videntur, ut aliquot exemplis, quæ sequuntur, forsan patebit.

Observatione dignum est quod de mirandâ illâ quæ ad pontem Carentonianum fit vocis reflexione, narrat experimento 249 & 251. unde ter & decies vocem emissam distinctis intervallis regressam se audiisse affirmat. Si

tamen , inquit , *Diaboli nomen Satan efferas, Echo illud nomen minimè refert, sed Vat-en quod Gallicè idem est cum apage.* Id ego in dubium revocare nolim quod propriâ sibi experientiâ compertum asserit. Sed de ratione quam Verulamius adducit dubitare , ni fallor licet,dari scilicet litteras quas ægrè exprimat, quas non repercutiat Echo, qualis est littera S, utpote cum Sibilus & interior tantùm sonus sit. Si vera esset generalis hæc ratio idem ubique contingere : at contrarium non semel multi aliis in locis experti sunt, & circa vocem de quâ agitur, & circa alias in quibus eadem occurrit littera. Ulteriùs igitur videtur inquirendum hac de re , cuius causa forsan tribui posset peculiaris structuræ , & figuræ loci illius ad pontem Carentonianum, ubi fit tam stupenda: vocis reflexio; cùm enim singularis organorum naturaliū vel artificialium conformatio in ore & in musicis instrumentis quarundam litterarum aut vocum pronunciationi impedimento sit, quidni simile quiddam hoc casu fieri suspicemur ? nam locum unde jocosa illa &

multiplex vocis imago emittitur, ori vel instrumento comparare nil vetat.

Saluberrimam esse ambulationem ratio suadet, experientia confirmat, moderatus enim corporis motus, calorem naturalem excitans & augens facit ut cibi citius concocti facilius è pensili stomacho propriâ gravitate in intestina delabantur; motus ille præterea cum liberè fiat, nec sine gaudio, transpirationem non mediocriter promovet, quæ tuendæ valetudini quantum conducat, & veteres norunt & recentiores docuerunt, ac præcipue Santorius ingenioso de Staticâ tractatu. Afferit tamen Verulamius experimento 733. historiæ naturalis, *ad triremes damnatos, in ipsis arumnis, pingui esse & velut benè habito corpore, quia sessilis vita stomachum aliquo modo supportat, quem crebri incessus pensilem faciunt; unde exercitia diligere prorogandæ vitae conductit quæ artus magis quam stomachum aut abdomen movent, ut sedentes remigant.* Sed pace tanti viri dixerim hoc loco sophisma forsan deprehendi posset quod fallacia accidentis apud Diale-

Eticos vocatur, sive non causa pro causâ. Quis enim salubrem credat sessilem vitam & hujusmodi motum non spontaneum ac injucundum, cuius remiges quodammodo servi fiunt? Damnatorū igitur ad triremes sanitas tribuenda potius videtur illorum temperamento ferè semper Athletico, cùm inter facinorosos ex constitutionibus Regiis delectus fieri soleat eorum qui corpore bene compacto, & validis nervosisque lacertis tam diurno labore sunt aptiores; sic poena sanos non facit, sed invenit.

Adamantes è rupibus collectos angulis præditos, & Carbunculos, subtiles lapidis exsudationes & percolationes esse Baconus asserit experimento 4. Sed non gignit duris hos cautibus horrens Caucasus, quamvis eorum primordium à rupe Caucaseâ quidam tradiderint, primumque saxi hujus fragmentum inclusum ferro ac digito circumdatum. Id Plinius narrat lib. 3. initio, sed ut fabulam cui fidem adhibuisse non magis credendus est quam iis quæ apud Orpheum in fabulofâ de lapidibus poësi occurrunt. Tantam ve-

rò copiam humoris è siccissimis corporibus elici non valde probabile est. Probabilior ergo mihi videtur nobilissimi Roberti Boyle in exercitatione Londini editâ de origine & viribus gemmarum hypothesis ; gemmas scilicet ferè omnes præsertim pellucidas vel fuisse olim corpora fluida , vel è substantiis olim fluidis ex parte componi : quod ille dum solidis suo more rationibus & jucundis non minùs quàm utilibus experimentis confirmat, conjecturam duntaxat, innatâ modestiâ, vocat. Sed eamdem opinionem, ut indubitatum, stabilire conatur acerrimus Cartesianæ Physicæ assertor Roaltius: facilius sanè videtur substantiam fluidam durescere , quàm è duro corpore sudorem vel succum elici, qui postea lapidescat.

Minores haustus (ait Verulamius experimento 726.) citius inebriant : causa est quòd vinum non tam subitò descendat in stomachi fundum, sed diutius immoretur superficiei supremæ, vaporesque è magis ad caput transmittat, propterea que citius inebriet , sic & offa vina macerata , par modo sit quantitas, magis

inebriat quam ipsum vinum. Hæc verulamius. Sed videant quoꝝ ad hoc experimentum iterandum voluptas & genius trahunt an id verum sit. Ciceron contrarium existimasse videtur lib. de Senectute , Xenophontis in convivio sententiam secutus vel potius verba interpretatus verbis elegantibus quæ referre non piget. *Eodem modo* (inquit disertissimus interpres) & nos si nimio vino nos ingurgitaverimus, statim tum corpora, tum mentes concidunt, nec respirare nedum loqui possumus; quod si ministri minuta rorantiaque pocula crebro ministraverint (ut Gorgia verbis utar) sic non violati vino ut ebrium fiamus, sed incitati ad ludicra puerilia descendimus. Hujusmodi ergo pocula Tullius minuta atque rorantia vocat, & si eadem metaphorâ uti licet , dici potest hoc veluti rore stomachi calorem naturalem excitari , qui largiori quam par est mero laeditur ; ut ros tellurem recreat quam nimius imber quodammodo inebriat , cum scilicet foecunda terra nimis potat , ut Anacreon loquitur. Sic etiā levi aspergine ignis augetur & irritatur qui profuso humore

humore extingueretur. Quod autem afferit Verulamius, si vinum non tam subito descendat in stomachi fundum, sed diutiis immoretur superficiei supremæ, vapores eò magis ad caput transmitti, refelli facile potest, si quis perpedit. vapores non eâdem viâ ad caput ascendere quâ cibus in stomachum descendit, sed ex imo ventriculo brevius esse vaporibus iter ad cerebrum.

Constat glebam è Nili ripâ desumptam & vase vitreo probè obturato &, ut aiunt, Hermeticè sigillato conclusam in majorem molem excrescere, illiusque pondus augeri cum intumescit Nilus. Veram hujus rei causam aëris cōdensationem esse Baconus existimavit: Sed id potius motui partium glebæ, & nitro dum fermentescit, cuius maximam in Ægypto copiam esse liquet, tribuendum videtur. Nitro quoque tribuunt quod sèpius observatum fuit, majus scilicet Nili incrementum esse cœlo fudo, cum aër calidior est, quam si subnubilus & humidus sit; caloris enim effectus est ut effervescat nitrū, & ideo turgescat Nilus, qui effusus in agros hâc ratione mirum

in modum illos foecundat : unde foetifer potu Nilus à Plinio lib. 7. cap. 3, illius aqua genitalis lib. 9. cap. 58. & coloni vice fungi ab eodem dicitur eleganter lib. 18. cap. 18. Quamobrem Ægyptii sacrificabant ascensui Nili, ut D. Chrysostomus refert oratione de tribus pueris, & Heliodorus Æthioporum lib. 9. tradit Ægyptios festum ascensus Nili celebrasse maximo cultu.

Affirmat præterea Baconus experimento 743. ex vero narrari eo die quo Nilus intumescit , decimo septimo nempe Junii , ut antea docuit , graves plagas in Cairo exoriri solere. Sed hac in re deceptus vir magnus facti errorrem , quo interdùm prudentissimi falluntur , non vitavit. Nam certum est tunc desinere pestem quæ, veluti quodam naturæ tributo , magnæ illi urbi quotannis & statis temporibus fatalis est. Annua autem illa pestis Cairensis non latuit accuratam diligentiam & ingenium nobilissimi Angli D. Roberti Boyle , ut patet illius opere Londini edito ann. 1673. de natura determinata effluviorum. Id ipse afferit fide dignorum testium autoritate confir-

mari , & ab eo relata D. Sandys verba transcribenda duxi. *Pestis* , ait ille, *quæ enormiter hic sœvit, cum primùm Nilus intumescit, subito cessat, adeò ut cum quingenti moriantur Cairi pridiè, (quod rarum planè non est , sani quippe cum infectis miscentur , quia mortem in fatis esse , agrotosque defugere irreligiosum arbitrantur) nè unus quidem postridiè moriatur.* Hæc D. Sandys refert. Mirum autem hoc phænomenon præcipue oriri ex nitrosis quibusdam corpusculis exundantem Nilum comitantibus , & salubri effluvio quidquid maligni in aëre occurrit pellentibus , coniicit D. Boyle ; cui hypothesi congruit quod à plerisque traditur circa tempus nimirum exundationis Nili , humectantem quandam emanationem per aërem diffundi , quam benigni roris instar esse dicunt , & Guttam vulgò nostrates vocant.

Vulgatissimum est (inquit Verulamus experimento 958.) *cadaver in conspectu homicidae de novo per inflictum vulnus sanguinem emittere : posset hoc iusto Dei iudicio adscribi, qui plerumque homicidam latere non patitur; Sin ad natura-*

lem vim revocatur, imaginationi tribuendum. Hoc, ut ait Baconus, multi narrant, sed non ideò verum est, cùm vulgi facillimè decepti credulitate vel vago rumore ferè semper fallaci nitatur; adhuc enim (nec immerito) ambigitur, an id semper coram solo sicutio, non etiam coram insonte contingat. Si hoc ità verum esset, Dei ultoris potius quam naturæ vel imaginationis viribus tribuendum foret; magis nempe Philosophum decet ad omnipotens arcana confugere, & divinam afferre causam quā nullam vel imaginariam. Cujus enim hic effectus imaginationi tribuatur? non occisi, cùm in cadavere sit extincta: non sicarii, cùm in distans agere non possit, & quamvis admota id præstare nequeat. Eruditus author libri de magnere, dūm hujus ostenti causam scrutatur, Paracelsi opinione perstrictâ, quem phantasticum ait more suo phantasie vehementiori omnia adscibere, magnetismum ad hunc casum extendere conatur, & spiritus occisoris sanguini occisi in colluctatione communicatos ac veluti transfusos, non commodè in

alieno subjecto existentes, proprium videlicet occisoris sanguinem quærere, & quasi partem avulsam ad totum redire coniicit. Sed si res merè naturalis fuit, probabilius videtur hoc, casu quodam, accedente sicario visum, quod accedere tunc potuisset coram alio vel maximè innocuo, dum scilicet prævia putrefactionis fermentatio fiebat residuo calore, unde motus sanguis quà data porta facilè prorumpit. Hoc igitur si quando contigisse relatum est, nec levis indicij loco habuerunt judices naturæ non minùs periti quàm juris, & sagacissimi veritatis indagatores.

Sed imaginationis vel sympathiæ fines ulteriùs ac per spatum ferè imaginarium Verulamius promovere conantur, dum de insignis illius ac mirandæ ad Naupactum victoriæ non minùs mirâ, eo ipso quo relata fuit momento, cognitione Pio V. factâ sequentibus verbis differit.

Pius V. ipso puncto quo Christianis obtigit memoranda victoria adversus Turcas navalì ad Echinadas prælio, cùm in consistorio causis cognoscendis vacaret,

repentè exiliit, proximèque adsidentibus dixit, tempus requirit ut Deo gratias agamus pro insigni victoriâ nobis contra Turcas concessâ, cuius hîc velut sympathia cum ipsius spiritibus apparet, cùm soli ipsius operæ deberetur istud fædus, fortè & revelationis divinæ negotium est ; sed quid respondebimus ad exempla tûm Græca, tûm Romana, cùm populus theatris & ludis indulgens victoriæ & stragis certior factus est paucis ante nuntij adventum diebus.

Hæc enī Verulamius. Sed quis imaginationis vel sympathiæ vires tam latè non patere fatebitur ? nec validis argumentis opus est ad ea subyentenda quæ vix ipsa possit adstruere imaginatio. Eidem igitur adscribenda victoriæ revelatio cui & victoria, & ut non sine cœlesti ardore Christiani pugnarunt, ita non sine divino lumine res ab iis prosperè gestæ statim innotuerunt verè Pio ac nuper in Divorum catalogum relato Pontifici, cuius mens sacræ illius expeditionis pars maxima fuit, ut omnes historici testantur.

Hæc ego è Sylva Sylvarum Verulamii decerpere ausus sum, non ut qua-

Iescumque conjecturas meas tanti viri observationibus insererem , nec ut illum carperem cuius præstantissimi ingenij me summa jamdudùm incessit admiratio ; sed ut novitatis nimiùm studiosos (quales permulti hoc sèculo vigent , qui ut Athenienses olim quorum in actis Apostolorum cap. 17. fit mentio , nova tantùm audire & dicere cupiunt) ab antiquitatis contemptu averterem , & ad veritatem quærendam ubique & benignè semper excipiendam hortarer. Ut autem laudator veterum , censor minorum esse non cogitur , ita qui recentiores suspicit , veteres despicere non debet. Non omnia præripuerunt antiqui posteris , sed non illis omnia reliquerunt , nec minùs errat qui nihil ab illis inventum , quàm qui nihil ab istis inveniendum existimat. Cum astra non ita pri dèm detecta unà cū aliis jamdiù notis syderibus coruscant , quis majorem splendorē fieri neget ? Astronomi Tabulas & observationes eorum quibus successere non spernunt , & quod illi oculo inermi viderunt , id isti Telescopij ope promovere gaudent : Quidni

etiam Historiae naturalis scriptores sibi
vicissim doctrinæ lampada tradant, ut
priscæ lucubrationes novis laboribus
suppleri, & sicubi minùs accuratæ
sunt, emendari queant? Utinam soli-
dis rerum commentariis, quales for-
san inter desiderata referi possunt, à
Philosophis illustraretur vetus Histo-
ria naturalis, quæ sæpiùs à philologis
interpretibus obscuratur densissimâ
verborum sylvâ, in quâ frondes mul-
tæ, pauci flores, paucissimi fructus oc-
currūt. Innumeris, ut ita loquar, fosso-
ribus opus est ad exhaustiendam natu-
ræ aurifodinam: sed multi etiam alij
concurrere debent opifices, ut metalli
preium, quod terra celat, dignosca-
tur; nihil ex eâ cruitur cui sua virtus
non adsit: quod quis primo intuitu
sterilem arenam esse existimaret, id, si
attentiùs inspiciatur, erit magni pon-
deris gleba è quâ sæpiùs igne candefac-
tâ aurum obryzum elici potest. Non
uni tantùm sæculo prodest quod illinc
educitur, ut longæva arbor, quam
providus senex serit non tam sibi quâm
nepotibus consulens, diu factura est
illis umbram, si coniunctis quodammo-

dò

dò temporibus satoris culturæ curas suas addant. Si recentiores Philo-
phi veterum inventa absque odio ex-
cipiant, suaque posteris procul invi-
diâ tradant, tandem aliquandò perfi-
ci poterit Historia naturalis, & non
solum amœnior, sed etiam utilior cres-
cit Sylva Sylvarum, in qua rami au-
rei nunquam deficiunt.





DE MIRANDIS PELAGI.



U I S varios pisces, ponti qui cæ-
 rula tranant
 Noscere mortalis vel numerare
 queat?
 O utinam faciem Neptuni ut cer-
 nimus, ima
 Sic foret illius viscera nosse datum;
 Omnipotensque manus chrystallina mœnia firmans,
 In pelago siccum pandere vellet iter:
 Quot se se offerrent oculis miranda, simulque
 Squammigeri quanta h̄ic monstra tremenda
 gregis?
 Dissecto haud aliter, cùm fas est, corpore, morbos
 Sæpe videre licet qui latuere diu.
 Muscosæ hinc rupes, mons illinc surgit arenæ,
 Limoso h̄ic viridis fluctuat ulva sinu.
 Sic Arabum deserta soli pars arida, densis
 Aspera pars saxis, pars sed amoena viret:
 Ut variis studiis homines & moribus, ædes
 Diversas & amant dissimilesque cibos;
 Non eadem Nerci pecudes per pascua ludunt,
 Non eadem cunctis piscibus apta palus.
 Hic rapidis gaudet, tranquillis fluctibus alter,
 Iste solet nasci mitis, & ille ferox.
 Sunt quos uda capit sinuosis frondibus alga,
 Est aliis domus & vilior esca lutum.




Pars latebras quærens scopulique cubilia rimis
 Fida sibi in vitro gurgite tecta parat.
 Sed plerosque cavæ alliciunt servantque lacunæ,
 Humoris tepidi profluit unde latex.
 Sunt & qui placidis lenes & dulcibus undis
 Assueti, propter flumina pura natant:
 Hic ubi nec falsus nec habens quid pontus amari
 Læra suis levior pectora nutrit aquis.
 Nec dubites ponto an regni splendescat imago,
 Nec submersa undis omnia jura putes.
 His suus est princeps, pisces hic cernimus instar
 Magnatum, plebem cætera turba refert.
 Hic regnare solet Delphin. Quid clarius illo,
 Quid maris imperio dignius orbis habet?
 Conspicuus cœlo, terrâ ponioque coruscat
 Nobilis, estque hominum, quos amat, æquus
 amor.
 Profuit hic quories mortalibus? unus Arion
 Sat docuit fausta sortis ubique memor,
 Äquore qui fospes, Letheo flumine servans
 Delphinum, vectus cantor ad astra tulit.
 Regia mens meritis gestit succurrere, vatem
 Cùm fovet, ipsa sibi dextra benigna favet.
 Non ingrata jugum Pindi fert pectora, Musis
 Regales animos blandus Apollo facit.
 Muneribus vinci vix se patiuntur alumni
 Pieridum, dare qui non peritura sciunt.
 At sua sunt mutis odia & sunt piscibus iræ,
 Algida sèpc furens pectora torquet amor.
 Bella quoque in medio perhibent fervore profundo,
 Majoris præda est piscis & esca minor,
 Qui temerè absorpto quandoque interficit hostem
 Mucrone, & tumulum perfodit ipse suum.
 Sed nihil immanni Thunno fert durius unda;
 Nam fœtum, optavit quem genuisse, vorat:
 Dira novacalì mater lymphata furore
 Sic parit, ut subito desinat esse parens.

Hæc uteri longos ulciscitur ore dolores,
 Et soboli mors est , hic ubi vita fuit.
 Cernis ut in latebris vitam natura tueri ,
 Piscari & mirâ piscibus arte dedit.
 Sic alitur celebri prædator Polypus astu ,
 Urit ubi fauces ingeniosa fames.
 Ille tegens laqueos scopulo dum concolor hæret ,
 Se lapidem fingit , sed docet esse feram ;
 Et vivam occultans crudeli in pectore cautem ,
 Innumeros pisces decipit atque vorat.
 Quem later , ut fusi vanescens nube cruoris ,
 Insidiatorem Sepia cauta fugit ?
 Hæc propriâ elabi caligine docta , salutis
 Callida vel reperit vel facit ipsa viam.
 Naturâ duce fallaces sic fallere , sœvas
 Innocuo & fraudes fas superare dolo.
 Quàm bene se norunt alienâ condere testâ ?
 Non sua Carcinades quàm bene scura ferunt ?
 Dumque pares fiunt recto , velut impare migrant ;
 Majorique volunt crescere membra domo.
 Haud secûs inconstans , vanisque obnoxia curis
 Ambitio sedes mutat ad alta volans.
 Illa diù optatis expleri nescia , semper
 Indiga , vix fruitur cùm meliora cupit ;
 Seque minora putat quæcumque attingit , & ultrâ
 Dum properat loca mox despicienda petit.
 Inspice quot nunc Oceani miranda sub undis
 Deliteant , ratio quæ referare nequit.
 Quàm facilè arcanis neftit distantia nodis
 Brachia Torpedo , nomine digna suo !
 Hæc quâ comprimitur transmittit arundine mirum
 Torporem , & sensim diffita membra premit.
 Seu tremulo pulsu , tanto in discrimine , nervos
 Eminùs infensos , dum fricat illa , terit.
 Seu sopire manum cæco transfusa meatu
 Aera per liquidum vis inimica potest.

Naturæ ludentis opus seu credimus , ipso
 Visa sit ut motu transiliisse quies.
 Sic gelidum pectus frigescere cogit , inertem
 Segnitie juvenem sic & amica facit.
Cedite sed ponti miracula , cedite pisci
 Exigo , immensum si remoratur onus.
 Hic fuscus cubito interdùm minor , instar & hamis
 Rostra gerens tardat pondera quanta salo !
 Nec tenuem curvo prædam capit ore , videtur
 Piscari & magnas sistere velle rates.
 Romano fertur quondam sub principe navis
 Immota insolitas obſtupuisse moras :
 Afflabant zephyri , valido ceu remige puppis
 Vecta per affuetum læta meabat iter ;
 Linea sed subito cœpit torpescere moles ,
 Atque viæ intentam noxia viñcla tenent ;
 Vela simul funesque gemunt , & laxat habenas ,
 Qui vigili versat nautica fræna manu.
Anne novas arbor radices fixa profundo
 Egit , & in rupe versa carina riget ?
 Exemplò obstantes ruit explorator in undas ,
 Ecce moræ tandem causa pudenda pater ;
 Piscis ut hic morsu , ceu spirans anchora , fundat
 Navigium , Thetis quod stupet ipsa ferens.
Quis putet hōc tanti delusas obice vires
 Remigii , placido cui favet aura mari ?
Quis non humanae agnoscat ludibria sortis ,
 Dum minimis frangi maxima sæpe videt ?
 Nunc quāta omnipotens moderator in æquore cōdat
 Fercula , si reputes vix numerare queas ;
 Ni radio aggestam solers metiris arenam ,
 Ut Siculus clarâ nouerat arte Senex.
 Mœonides sterilem cur ausus dicere pontum ,
 Unde dapes homo tot divitiasque legit ?
 Has si queris opes , satis est depromere gemmam ,
 Quam rutilans puro lumine concha parit.

Tam nitidum quis non ultrò laudaverit orbem ,
 Discere & illius quæ sit origo velit ?
 Spumoso quandam surgens ex æquore Cypri,
 Ut medio vidi pectora mersa mari ,
 Se tumulo condi credens, perterrita ferrur
 Flevisse , & justo contremuisse metu :
 Nec tales imo fletus latuere profundo ,
 Nec Divæ lachrymas fata perire sinunt :
 Ambrosium excipiunt nymphæ servantque liquorem
 Nascentis Paphiæ quæ latus usque fovent.
 Sic facta felices irrorant lumina conchas ,
 Fœcundi humoris queis micuere globi :
 Quælibet at subito visa est durescere gutta ,
 Cui solitus nitor est, atque figura prior ;
 Lævis & ut fuerat remanet , Nymphisque placere ,
 Formosisque genis aptior esse solet.
 Unio sic oritur cœlesti semine ; quis nunc
 Et pretium & lachrymis pondus inesse neget ?
 Æthereæ tibi quot pontus fert munera dextræ ,
 Mens humana vides , nec fluisse pudet.
 Hanc semper venerare lubens , hanc semper adora
 Quæ tibi se largam pandit ubique manum.
 In medio signata salo vestigia fulgent
 Numinis , in pelago pingitur ipse polus.
 Præscriptos sibi quos lambit transcendere fines
 Nescia , se metis continet unda suis ;
 Illa Deum colit, illa sacris dum paret habenis ,
 Te probat infrænem , te juga ferre monet.
 Æternam fluctus sic vocem audire videntur ,
 Hancque suas inter pertimuisse minas.
 Cur, homo, supremi leges violare parentis
 Non dubitas , tumido heu surdior ipse mari ?



*DE TERRÆ MOTU QVI POST
sancitam Gallos inter & Hispanos pa-
cem, Regalique connubio firmatam con-
tigit, & circa Pyreneos montes vehe-
mentissimus fuit. Anno 1660.*

O D E.



UIS movet terram nimio
fragore
Spiritus cæcas latebras re-
cludens,
Quidve portendunt agi-
tata magnæ

Viscera matris?

Intremunt urbes, malefida cives
Tecta certatim fugiunt, in ipsis
Mœsta quos arvis titubare cogit
Mortis imago.

Fontium lenes stupuere Nymphæ,
Balneis virtus abiit salubris,
Decolor fluxit subito labante
Vertice rivus.

Quin & incerto saliere motu
 Quæ colunt celsam Dryades Pyrenen
 Dum novo circum tremulæ sonabant
 Murmure rupes.

Ultimus tristem repetentis orcum
 Forte Bellonæ fuit ille nisus
 Quæ suâ infensos voluit ruinâ
 Sternere montes.

Hanc videns stragem trepidus recedet
 Et procul migrans hilares Camoenas
 Mox sinet miles redimire sacrâ
 Tempora lauro.

Nullus hîc hostis pavido colono
 Auferet Bacchi Cererisque dona ,
 Nullus invisas teneræ cupressos
 Junget olivæ.

Læta jam vultu placido triumphet
 Diva quam blandæ Charites sequuntur
 Cujus est nexis adamante nodis
 Dux Hymenæus.

Pacis Astrææ comitisque gressu
 Desinat mundi tremor , & benignum
 Copiam fidus ferat aureique
 Otia secli.

3

*DE SERENISSIMO PRINCIPE
Armando Borbonio cum Occitania
Prorex designatus esset.*

O D E.

Expectata diu micat
Præclari soboles inclyta sanguinis
Quâ cœlo exoriens jubar
Virtutis radios pandit & ingenî.
Pacis munere lætior
Felix ripa novis fulgeat ignibus
Hinc atrox scelerum cohors
Aspectum metuens principis exulat.
En antiqua fides redit
Et primi pietas æmula seculi
Dum fraudes avidæ, malus
Irarumque furor diffugiunt procul.
Blandis hîc numeris suum
Tranquillæ columen Pierides canant
Cujus lumen vertice
Pindi delicias innocuas fovent.
Purâ castus amor face
In sylvis juvenum pectora torreat
Nympharumque hilaris chorus
Raptoris Satyri non timeat dolos.

4

Mox Pastor poterit comas
Optatis oleæ cingere frondibus
Insculpetque beatior
Herois tenero lilia cortici.
Quæ tali manus impia
Tutam præsidio cæderet arborem?
Quis tantum decus asperis
Possit livor edax carpere dentibus?



DE ILLVSTRISS. ALIGRIO
Francie Cancellario cum Regiorum
sigillorum custodia ei credita esset.

O D E.

BOnis colenda sed timenda sontibus
Themis, comesque veritas
Pudor fidesque, cum novem sororibus
Io triumphhe plaudite,
Ad astra vester ecce nunc Aligrius
Polo jubente tollitur;
Quis hoc magis disertus & sagax? Pius,
Benignus ille pectore
Catonem & ore, Tulliumque dotibus
Refert beatus ingenî;

Manus quid ista præsttit diu, videns
 Et huic ut in parentibus
 Favebat alta jure dignitas micans
 Futura quisque præcinit ;
 Is ipse norma legum erit, ratem anchora
 Furente fundat ut salo ,
 In æstuante litium mari potens
 Quot ille fulciet domos ?
 Quot efficacis instar Herculis sciet
 Domare monstra criminum ,
 Adesse promptus ut parens egentibus ?
 Probos lubenter allicit ,
 Malos sed ipse respuit lubentius
 Metu sine ac cupidine ,
 Amica flamma corde quæ viri latet
 Sibique constat , ætheris
 Ab axe missa semper impetu vacat
 Humi procul vaporibus
 Quibus calere mota mens ubi incipit ,
 Tumet sibique dissonat ,
 Nimis remissa saepe , dura vel nimis ,
 Eodem ut igne percita
 Liquescit inde cera , limus hinc simul
 Fit undequaque durior.
 At ô canora turba quæ jugum biceps
 Tenes, Alumni Apollinis
 Odore ferta quæ juvent novo decet
 Parare vos Aligrio ,

Sit at suprema laus & instar omnium,
 Valet quod ille maximo
 Placere Regi, & hūc colens ut omnibus
 Ametur optat, haud secus
 Minister ille fulminis suo Jovi
 Vbiique fidus adsidet,
 Simulque solem ut intuetur hunc cupit
 Patere sic propagini;
 Referre mēbra si togę hoc queant caput
 Parique luce fulgeant,
 Sacris decora gens togata cœlitum
 Choris nitebit æmula.


DE REGIO BELLI TERRA
marique apparatu. Anno 1671.

O D E.

Qualis tremendo Rex superūm
 sōno
 Testatus iras prævia fulminis
 Diffundit humentes per auras,
 Fulgura cōcutiens olympum,
 Ac dum paterno mundum animo regit
 Terrere promptus, plectere tardior,
Quos sensit incassum moneri
 Arce poli reprimit rebelles,

Sic sceptr'a princeps Galica qui tenet
 Spirans imago Numinis, hostibus
 Dum bella molitur, timendum
 Se probat è folio coruscans,
 Sed cum moveri nec prece, nec minis
 Novit tyrannum Threiciæ plagæ
 Cur parcet huic vîctor, paratis
 Viribus aut alios domabit?
 Ferrumne puris singitur ignibus
 Cui cedat atri ferrea Bosphori
 Pandens avernales recessus
 Tot populis metuenda porta?
 Quām multa navis prælia destinat?
 Quām densa pubes, impatiens moræ
 Jam præcipit palmas, feraces
 Martis agros animo pererrans?
 Quo non in illos irruat impetu
 Miles jubentem qui sequitur Deum
 Expertus Ægeo profundo
 Propitium toties roganti?
 Pallere lunæ cornua cernimus,
 Jam sol per undas regius emicat
 Magnaque stipatur catervâ
 Seque suis radiis coronat,
 Non ille ponti fluctibus occidet,
 Flamas sed audax evomere, æquoris
 Metasque perlustrare, fidos
 Inveniet facietyc portus,

Centum peractis orbibus , annuo
 Titan recurrens tramite volvitur,
 Centumque post messes , nivali
 Huc hiemes rediere cœlo ,
Victo- Naupactus ex quo clarior, ætheris
riam Ingens trophæum , sanguine barbaro
Nau- Littusque prospexit cruentum ,
pactæ Christiadum reboans triumphos;
Chri- Lauros hic annus vere novo sacras
stiani Sic classe victâ Christicolis ferat ,
retule- Tandemque lœtis seculare
runt. Mox liceat celebrare carmen.
Anno
1571.



ILLVSTRISS. PAVLO PELISSONIO
Libellorum supplicum Magistro de
prospera & miranda Regis in Batavos
expeditione. Anno 1672.

O D E.

LÆtis Olympi culmina plausibus ,
 Pindique colles nunc resonent
 novo
 Clangore , victorisque laudes
 Ingerminent hilares Camœnæ;
 Quam

Quam grata messis jam tibi panditur,
Facunde summi Principis, & sagax

Testis laborum, quis tot ampla

Te melius memorare possit,
Dignisve pingat gesta coloribus?
Sed Martis obstat cui nihil invium

Gressus, Pelissoni, recensens

Vix poteris numerare palmas,
Quas fida curru tam rapido comes
Lectas eunti congerit undique

Pallas triumphali colendum

Sueta caput redimire lauro.

Quis tanta vidi tam propero simul
Confecta nisu, nec stupuit videns?

Tu multa narrabis nepotum

Quæ capiant animos, & uno
De Rege possint credere posteri,
Discentque vero cedere fabulas,

Priscos & heroes nec illi

Mente pares, meritis, nec orci.

Nuper tumescens Rhenus & Isala,
Ac Mosa pronis nunc humiles vadis
Frænatur, & turmas natanti

Ære ferunt, subitove ponte;

Quin & per undas agmen ovat, rates
Nec poscit ardens, nec patitur moram,

Una reluctantes catervas

Et fluvios superans minaces.

Non fulgur auras ocyūs anteit,
 Fulmenque rumpit saxa potentiūs,
 Quā venit Alcides protervos
 Gallicus & Batavos subegit;
 Vix tota seclo cœpit Iberia
 Is quæ peregit mense brevi, impiger
 Quas victor expugnat, viator
 Haud citiūs peragrasset vrbes.
 Non talis arces terruit Italas
 Nec sic tremendo Carolus impetu
 Cum transvolans Alpes, remotam
 Parthenopen medios per hostes
 Rapturus ivit, per Latij sinum
 Audax cucurrit, moenia Romuli
 Ingressus, haud inter trophæa
 Dedidicit pius esse sacræ
 Cultor Tiaræ, sed veteri magis
 Hic temperatâ vi rutilat labor,
 Cœloque prudenter dicata
 Pulchrior hæc meliorque laurus;
 Quot sœva delens, aut validis premens
 Rex monstra vincit, nobilior micat!
 Sic ille servatos frementi
 Eripuit populos Averno:
 Non qui biformem confodiens feram
 Theseus recessus, tectaque Dædali
 Solers pererravit, palude
 Tot juvenes stygiâ redemit;

Oppressa dudum nunc recipit suas
 Ædes avitis redditæ honoribus ,
 Tandemque prorumpens aperto
 Carcere Rellgio coruscat.
 Qui cuncta cernit non sibi defuit ,
 Faustoque nutu quo regit ardua ,
 Conjuncta curæ Liliorum
 Iura poli voluit tueri ;
 Findens Hiulcos en Lco fervidus
 Torrere campos gestit , & abditum
 Exhaurit humorem lacunis ,
 Omnia dum nocuo sitire
 Æstu videntur , dum calor imbribus
 Crescit negatis non sine numine ,
 Quot rore fœcundo rigantur
 Pectora quæ fovet alma virtus ?
 At qui peruri rura dolent sua
 Motumque solis sistere non queunt ,
 Hi tela vitantes movere
 In latebris Acheronta vellent ;
 Vt parcit illis qui domuit, vides
 Et quâ repressit,nunc reficit manu ,
 Se major ut gaudet triumphis
 Ipse suis posuisse metas.
 Qualis revulsas qui modò montibus
 Quercus , & arctos straverat obices ,
 In libera jam valle , torrens
 Non serus est, sed amœnus amnis ;


O quot per orbem grandiloquæ novis
 Hæc facta verbis mox referent tubæ,
 Mansura quām multi reponent
 His memores monumenta fasti!
 Hæc voce Phœbo quæ placet, ac lyrâ
 Promes peritus, de Duce maximo
 O Paule quod dices, id Ister
 Audiet, id Tiberis Tagusque.
 Nil deesse fatis principis inclyti
 Mirantur omnes, nec titulis, suum
 Non sic secutus vedit olim
 Mæonides celebrans Achillem.

DE FORTITVDINE STVPENDA
 quā auspiciis Ludovici Magni, cui
 nihil invium, Galli Rhenum tra-
 runt hostibus frustrâ reluctantibus.
 Anno 1672.

ODE.

IMpavidi Celtæ Rheno ceu judice
 prolem
 Librare quondam sueverant,
 Nam clypeo ut cunis feretrove impo-
 nere natum

Miles tenellum non timens ,
 Incolumem fluvio lotumque ut vide-
 rat, almo
 Lætus fovebat hunc sinu
 Tunc pater & sobolem per prima peri-
 cula matri
 Reddebat anxiæ agnitam ;
 At melius Mavors claros explorat
 alumnos
 Rheni fluenta cum premens
 Intrepidos cernit juvenes pugnare na-
 tantes
 Torrentis instar ignei,
 Tendere per fluctus simul hostilesque
 catervas
 Quò flamma pectoribus rapit
 Aspectu Ducis infusa , & quò vivida
 virtus
 Amorque Gloriæ trahunt ,
 Nobilis edomitas ac motu fervidus
 undas
 Sanguis super sic emicat ,
 Sic nova per tumidum Gallis via pan-
 ditur amnem
 Qui meta Romanis fuit.



*AD ASTERIVM QVI MORTEM
immaturam Illustrissimi Ducis Longa-
villæ non immerito lugèt.*

O D E

Indulgere decet flebilibus modis
Cor suadet , ratio non vetat , Asteri,
Musarum nova spes,& columen potens
Mæcenas tuus occidit ,
Vt mutata vides gaudia planctibus :
Nubes heu nitidum sic operit Jubæ ,
Cupressus mediis heu malè consita
Palmis discolor emicat :
Ostendere tibi vix superi , dolens
Quem raptum celebras , dum cupis
undique
Tot clari titulis spargere lilia
Herois tumulo levi ,
Quam digna huic facies imperio fuit ,
At vis ingenij dextraque dignior
Et virtus animi vivida , regiis
Fulgens vndique dotibus ,
Sic Regi intrepidus paruit ac Deo
Præsentique volens numine fervidus
Instaurare fidem , non timuit mori
Ut post funera viveret .

Hostes ipse cadens terruit , incubans
 Cæsorum cumulo straverat ictibus
Quos circum validis , exanimis licet
 Pugnanti similis fuit ;
 Saltus haud aliter per Libycos leo
 Contemptâ nimium morte ferocior
 Venantū obruitur cum numero , incutit
 Vel post fata minax mctum ,
Quæ casum regio non didicit , cito
 Pennis præpetibus dum volat impetu
 Lauros fama ducis factaque lugubri
 Et lethum memorans tubâ ?
 Securus solito nunc magis audiit
 Latè signa ferens accola Bosphori
Qui Cretæ in scopulis lumina viderat
 Tanti prævia fideris ;
 Perculus stupuit Sarmata nuntio
 Cui gratam placidi solis imaginem
 Improvisa oculis nox rapuit , feræ
 Lunæ cornua & addidit ;
 Hinc Bellona gemit , Pieridum choro
 Illinc mixtus olor tristia concinit
 Cui Pindi auriferos culmine fuderat
 Rivos larga diu manus ;
Quis matris lachrimas pingeret inclytæ ?
 Sic Aurora suum Memnona dicitur
 Flevisse , at precibus non pariter rogo
 Exemisse superstitem .

Longis Aonides nomina tollere
 Solarique simul vulnera næniis
 Doctæ, quot poterunt his sacra manibus
 Cippo carmina sculpere ?
 At Bellona brevi laude ducem beans
 Hæc solùm velit incidere marmori ,
 Qui saxo hoc tegitur sanguine proximus
 Condæo & meritis fuit.

*ILLEVSTRISSIMO ARISTIO IN
 æde B. Virginis Garrafoniae degenti,
 celebrandas ab eo Regis laudes Traje-
 cto expugnato. Anno 1673.*

ODE.

DUM pronus aris dulcia consecras
 Quæ purus æther nunc facit otia
 Et fronde quæ semper virescet
 Jure potes redimire canos ,
 Valle in reducta jam propior polo
 Bellumque laudans cui superi favent ,
 Quod non , Aristi , dextra præstat
 Emerita , id precibus reposcis ,
 Obliviosam qui memor omnium
 Claris fene&tam dotibus evehis ,
 Cujus his octo lustra tardo
 Pondere nil animos morantur .
 Cum

Cum tot revolvis quæ simul explicat
 Collecta fido Mnemosyne sinu,
 Et magna pars quorum fuisti,
 Invenies ubi tot canenda?
 Victor refulget cui nihil invium
Quem totus orbis suspicit, aureo
 Regemque majorem, ducemque
 Non poteris reperire seculo;
 Hic semper ornans lumine Galliam
 Et cuncta cernens ardua perficit,
 Infusa cœu vastos per artus
 Mens agitans movet una molcm,
 Tot solus hostes qui subigit, sacro
 Expugnat urbem Rex gladio; rigat
Quam Mosa firmans amne, muris
 Non minus Iliacis tremendam,
 Confisa vallo præsidio ac dolis,
 Cursu irretorto sternere mœnia
 Sperasset haud alter, sed unus
 Id potuit Lodoicus armis,
 Has ille palmas dum metit impiger
 Virtute priscos & superat Duces
 Vtroque Trajecto subacto
 Nunc geminas Batavi ac Iberi
 Transit columnas, Farnesio hinc forct
 Post fata, & illinc Auriacis pudor,
 Mors invidentes ni vetaret
 Decolor crubuisse Manes.

O quot superbi subdita Belgii
 Arx terret urbes, consilio hanc suis
 Et legibus Divisque subdens
 Quot cupid his referare templi?
 Nec fama pennas tam rapidis pares
 Sortita factis, ora nec expedit
 Sat multa, sed dignum Camoenis
 Esse tuis opus hoc fatemur.
 Laudator ingens impavidum decet
 Heroa, Cæsar sic cupiat magis
 Audire plaudentem Catonem
 Quam populi strepitus ovantis,
 Sic pertinaci Pergama diruens
 Bello, paratas Nestoreâ manu
 Sublimis Atrides corollas
 Barbarico anteferat triumpho.
 Tot gesta Regis pandere quilibet
 E plebe Vatum cur temerè audeat?
 Pinxit magni vix Apelles
 Principis os meruit colendum,
 At musa saltem se tua jam sinat
 His excitari vel rudibus modis,
 Pugnare qui nescit, canoro
 Sic acuens ciet ære Martem.

S E Q U A N I S A L V D O V I C O

Magno iterum subactis. Anno 1674.

O D E.

SI fœta dirō nubila turbine
Cum spargit altas tristis hiems ni-
ves,
Conjuncta nil solis morari
Æthereas potuere vires,
An illa sistant vere novo jubar
Cursumque Phœbi dum redit actior,
Juxta refulgens exprimitque
Dulcibus hunc radiis imago?
Talis reluxit qui medio gelu
Invictus ut nunc sternere Sequanos
Princeps & aspectu manuque
Ipse valet geminare lauros;
Æterna quantis hoc duce lilia
Florent trophæis, en propior patri
Delphinus Augusto triumphans
Hunc animis referens coruscat?
Obsistat auster vel boreas licet
Isterque surgens ac Tagus æstuent
Par solus est orbi regendo
Tot superans Lodoicus hostes.

Illum citem tam rapidè stupens
 Fluctus tremendos fortè novum sua
 Turbatus effusum putavit
 Lentus Arat Rhodanum per arva;
 Non tanta magno præstita Cæsari
 Bello tot urbes cum sibi subderet,
 Non pulcher huic astans Julius
 Altera spes patriæ micabat;
 Nunc major heros culmina montium
 Arcesque miris fulminat ignibus,
 Prodesse dum justos labores
 Vult soboli, sibi, Galliæque.
 At bis subacti nec populi gemant,
 Nec gens Ibero Sequana serviat,
 Hanc dextra victoris tuetur
 Quem pia mens animat parentis;
 Avulsa quondam ceu Regio æquoris
 Nisu, represso desinit insula
 Mox esse ponto, nec furorem
 Edomiti pelagi veretur.
 Sic una tellus, sic erit integra
 Quæ scissa partes in varias fuit,
 Connexa sic crescunt benigno
 Corpora quæ fovet igne Titan.

*CVM NVNTIARETVR PACE M
Sanciri, & Bellum terrâ marique
Barbaris inferendum esse. ANNO 1674.*

O D E.

NIxa congestis rapidè trophæis
Pax redit multas paritura lauros
Et polum spectat, favet ecce votis
Conscius æther;
Quot fides dextras sociat probatas?
His soli quantum & pelagi parari
Possit & cœli superante diram
Agmine gentem?
Fata quò ducunt & avita jura,
Quò vocat nutus Sophiæ, superbas
Ipse Byzantî Lodoicus ardet
Subdere turres,
Si velit nantes properare ponto
Gloriâ multi poterunt vocante
Ire quà tranavit amator Herûs
Sæpe Leander;
Quod tulit Rhenus, stupuitque Mos.
Unda Neptuni patietur, altis
Quæ natat pubes flaviis, per amnes
Perget in æquor,

Quam citæ Regem Aonides sequentur,
 Exules ceu cum patriam revisunt
 Hæ sibi fido repetent Pénates
 Sub dñe charos.

Barbaros terrens abigensque Pindo
 Ille foecundos Heliconis hortos
 Ille Parnassi juga summa Musis
 Debita reddet,
 Tunc suo Mavors rutilabit Hæmo,
 Luna tunc soli malè fausta cedet
 Atque curvatos sacra pellet ignes
 Lucis origo;

Fulmen hoc majus meliusque priscis
 Conteret rupes Asiae, nec unquam
 Tale flagravit sonuitque circum
 Mœnia Pellæ.

Tela sic numen graviora vibrat
 Sera quo fontes magis ira plectit
 Nubis & crescunt gremio reposta
 Semina flammæ;

Non tot incassum metuenda Thraci
 Agmina invictis animis reguntur,
 Tanta nec frustra moderator orbis
 Munera confert;

Non simul clarum meritis Achillem
 Græcia & magnam sobolem Philippi
 Edidit, Persis celebrem subactis
 Miltiademque,

Non simul vidit coluitque Roma
 Cæfarem, cum Scipiades vigeret,
 Cautus & Pœnos Fabius morandi
 Frangeret arte.

At simul dum tot Lodoicus hostes
 Sternit invictus, memoranda fulgent
 Facta Condæi, micat & Turennî
 Inclyta virtus.

Sic Jovi quæ nunc propiora lucent
 Sidera, obtutum veterum latebant,
 Et faces quas spes comitatur alma
 Jungit Olympus.



LIMBURGI EXPVGNATIO.
Anno 1675.

O D E.

Annua palmarum messis, victoria
 summo
 Quam fida alumno semper advolans
 parat,
 Non deerit manibus Lodoici, plurimus
 hostis
 Heroi obesse quamdiu conabitur;
 En iterū ut terret majori fulgure Mosam
 Limburgi & arces ut repete fulminat,

Pellit & oppositas acies urbique minari
 Vix visus , armis occupat provin-
 ciam ;
 Hic Batavum nimiis opibus, pelagoque
 tumentem
 (Sat nota Ditis cæcitas , & quæ fides
 Neptuno) Hispanosque dolos, fastum-
 que retundit,
 Novumque Geryonem Hercules vin-
 cit novus ;
 Sic rapido Titan curru dum lustrat
 Olympum ,
 Ventos furentes nubila atque gran-
 dinem
 Discutit ut facile extulcrat , vultuque
 fereno
 Vibrat diei tela nec patitur moram ;
Quòt miranda simul præstat, quem si-
 stere nulla
 Valet procella , qui repulsæ nescius
 Indefessus ovat ; totque ardua mente
 revolvit
 Et cuncta cernit & nitet par omni-
 bus.
 Imperio dignas dotes, viresque animos-
 que
 Novem Camœnæ celsa per Pindi juga

Dum numeris celebrant, sonat Hœmus
& excita plausu

Parere Thracæ Principi magno velit,
Congerit huic semper lauros Europa ,
probatque

Tantò micare clariorem Cæsare ,
Pulchrius est quantò agminibus supe-
rare natatu

Rhenum stupentem ligneis quam
molibus ;

Nomen at ipse vtinam qui bello ad si-
dera tollit,

Regum ducumque splendor & secli
decus

Desinat Augustum caput objectare pe-
riclis ,

(Tantæ quid addi mox queat famæ
altius ?)

Securamque sinat blandæ inter munera
pacis

Frui triumphis atque Rege Galliam.

DE IELVSTRISSIMO PRINCIPE

Ferdinando Furstembergio Episcopo
Paderbornensi qui præclaris ingenii
doctrinaeque dotibus stemmatis ac
dignitatum splendorens augens, pa-
cem omnibus morum & facundiæ sua-
vitate persuadere possit.

ODE.

Nunc corda mulcens ô utinam
facer
Notos recursans per fluvios olor
Mox cogat infensos canorâ
Voce potens lituos silere ;
Hic prima Pindi gloria cui favet
Phœbus, nitentem Lilia quem tegunt,
Quas ore non compescat iras
Pieriâ modulatus arte ?
Ut cum querelis dulcisonis nemus
Vox blanda latè lusciniæ replet,
Discordis oblitæ susurri
Mille solent volucres tacere ;
Non ille frustra sit patriæ datus
A quo feroce flehti animi queunt,
Martis nec incassum per arva
Threicius cecinit sacerdos

Orpheus parentem Calliopen colens
Lenire plectro quot didicit feras :
Sermone sic præstat domare
Pectora, quam superare ferro.

*PIIS CELSISSIMI TVRENNII
Manibus.*

ODE.

An lugere satis Gallia maximum
An laudare nimis mœsta potest
ducem,
Aut incidere digna
Tanto marmora nomine?
Heu prudens Fabio dux magis & manu
Æquans Scipiadas sternitur eminùs,
Cujus lumina ferre
Vix norant Aquilæ truces,
Cujus conspicuum tot meritis decus
Et candorem animi, Lilia quæ diu
Firmans pervigil auxit
Cultor, vix satis exprimant,
Vallis quæ tremuit mota Turennii
Casu dum reboant tot juga montium
Non hos conderet imo
Ut par est cineres sinu,

Illos nota decent culmina quā nives
 Densas, & scopulos vi superans simul
 Infensasque catervas
 Ibat nuper ad æthera,
 Sed quocumque loco sic jaceat, nitet
 Quem cōstans pietas, veri amor, & fides
 Summo debita Regi
 Virtutumque chorus beant;
 Victoris comites hæ placidi inferunt
 Lauros innumerās sideribus, celer
 Quas nec fulminis ignis
 Lædet nec fuga temporum;
 Hæ solari animos ut memores queant
 Charū Heroa probant, dum fruitur polo
 Tot mercede laborum
 Semper vivere Galliæ;
 Illinc fida móvet pectora militum
 Quos iras acuens exagitat dolor,
 Blandum quisque parentem
 Ceu raptum sibi viderit;
 En ut clara sacræ gloria purpuræ,
 Docti Bullonius lux nova seculi
 Totum corde sub alto
 Scit servare Turennum!
 En ut Durasi dotibus inclytis
 Solers fulget adhuc mens ducis! impetu
 Quanto conterit hostes,
 Spirans hunc quoque Lorgius!

Quot nunc inferias immolat acrior
 Ac inter lachrymas ut micat, & refert
 Stirpis Martia Pubes
 Hunc post fata superstitem !
 Sic cum celsa cadit palma virentibus
 Quæ latè didicit crescere brachiis ,
 Truncum sylva coronat
 Hujus consita surculis.


DE NOVIS LVDVICI MAGNI
Trophæis. Anno 1676.

O D E.

QUAM multa summio debita Prin-
 cipi
 Cui plaudit Orbis , cui Superi favent
 Seclis hic ostentat trophæa
 Innumeris memorandus annus !
 Victæ quot urbes Martis & impetu
 Versæ tremendo fulmine , mœnia
 Servata Trajecti , catervis
 Ut fuerant rapidis subacta !
 Cum Mosa stagnans proliuit hostium
 Maestata castris corpora , verior
 Huic prælii se tunc imago
 Quam labor obsidionis offert.

Nuper superbas Trinacriæ vadis
 Ardere classes incola gestiit,
 Tunc ignis Ætnæi stupenda
 In pelago simulacra cernens.
 Hinc ipse belli maxima pars cadit
 Rutterus, artes cui varias sui
 Dudum videbatur dolosque
 Imperii referare Thetis,
 Cui sæpe leuis tradere prosperos
 Mirè sagaci crèditus Æolus
 Ventos alumno, quos Ulysse
 Continuit melius recondens.
 Hinc ille magnæ surculus arboris
 Fractus nec uno vulnere Regias
 Augere lauros erubescit
 Auriacus toties fugatus.
 Vates amoënis Castalidum jugis
Qui tanta semper solliciti vident
 Narrare vix sperent, sed ista
 Luminibus tacitis pererrant,
 Et se queruntur tot simul impares
 Palmis, Olympo quas decet inscri,
 Jam dicta tot gestis, opusque
 Materiâ, numeros triumphis
 Vinci fatentur, pacis & otia
 Poscunt, periclis ut procul optimus
 Rex degat, infuetumque bellis
 Barbiton & calamos reponunt;

At Phœbus illos nunc sinit æquior
Cessare, Pindi culmine dum vigil
Heroa totum Pellisonus


Eloquio celebrare gaudet,
Hoc teste puros splendida veritas
Promet lepores, Attica Gallicæ
Sic copiâ mellis thymoque

Ubere mox Apis ipsa cedet,
Cunctos resulgens ut superat Ducas
Regesque claris undique dotibus,

Et mente devincit benignâ

Quos domuit Lodoicus armis.

Xeno-
phon
voca-
tus
fuit
Apis
Attica.



*HORTATVR AMICVM VT A
periculosa navigatione absistat, &
illius incommodis secessum & quietem
anteponat.*

ODE.

MUltos sereno dum Thetis allicit
Vultu, laborū tu memor & timens
Sedem procellarum dolosam
Ne Zephyris dare vela pergas.

Latè furentis littoribus maris
 Vicina nigro vortice Styx gemit,
 Fratremque Neptunus cruentā
 Prædā Erebis satiat tyrannum;
 Quisquis natanti carcere cingitur
 Cum tot revolut mente pericula
 Quas sustinet poenas, in undis
 Saxa simul metuens & ignes?
 Pisces amico gurgite Nerei
 Squammosa gaudent mergere corpora,
 Fidūque non linquunt profundum,
 Nec vitreis latebris recedunt,
 Fastidit ædes cur temerè suas,
 Servire ventis nayita cur amat,
 Almæque conspectum parentis.
 Sponte fugit malesanus exul?
 Pontum pererrans ocyor alite
 Puppis rotatur flatibus Africi,
 Sic tela mittuntur per auras,
 Sic rapido volat igne fulmen,
 En naufragorum flebilis ossibus
 Albescit ora, eheu tumulis opes
 Ne quære quos pandit sepulta
 Parte sui meliore pinus,
 Discede sævo, dum licet, æquore,
 Curasque vitans ceu scopulos, sinu
 Te dulcis involvens quietis
 Hic placidum tibi conde portum.

A decorative horizontal border at the bottom of the page, featuring a repeating pattern of stylized floral or foliate motifs.

*VACERRA * ET NEOPHILVS,* Desū-
Dialogus est de dissidio quod studium ptum
erga veteres & recentiores Philosophos nomen
interdum parit, eoque componendo.*

O D E

Vacer. **C**ur quæ multa simul probant
Et firmant solidō secula pondere
Hæc spernens ut anilia
Nuper parta refers Stentoreis tubis?
*ris ver-
teres,
Vacer-
ra, solos.*

Neop. Cur solos veteres adhuc
Mirari solitus, nec nisi mortuos
Laudans, si qua oritur, putas
Infanti similem nunc sapientiam?

Vacer. Horum fama perennior
Qui primi tumidum per marc, sidere
Freti mox faciles vias
Stravere innumeris arte nepotibus.

Nep. Illi major honos novum
Orbem qui retegit pyxide nauticâ,
Quæ non æquora temporum
Mensori fuerint pervia pendulo?

*Pacer. Cæcis pectora fluctibus
Purgare ut valeat quisque beatus*

Stagiræ decus inclytum

Quot leges statuit moribus aureas?

- Neop.* Æternum ut videat jubar
Mens jam liberior dissita perspicit,
Et claro auxilio potest
Ignorata diu lumina pandere:
- Vacer.* Is quem nos sequimur Ducem,
Pellæum Juvenem duxit ad ardua,
Hic sol ingenio nitet
Quantum Marte Asiam qui domuit
micat.

- Neop.* At Sol alter adest suâ
Qui prisci radios exuperat face,
Aurum purius eruit
Naturæ utilior jam gremio labor.

- Vacer.* Sed quis mirificas apes.
Prudens esse velit nil nisi machinas?
Quivos ista docet, feris,
Dum tot monstra parit, num timet
objici?

- Neop.* Huic vel bellua parceret
Arcanis caperet si placidè audiens
Sparsas illecebras modis,
Quam vates traheret non minor Or-
pheo.

- Vacer.* An doctis placeat, colit
Qui semper juvenes, despiciēs senes?

- Neop.* Majores nimis evehens
Cur prærepta putas omnia posteris?

- Vacer.* **Quis** credat dominæ parem
 Ancillā, an ratio poscat opem manus?
- Neop.* At quandoque monens juvat
 Fida ancilla gradus & dominæ regit.
- Vacer.* **Quid** si quam petimus, libet
 Errasse ut liceat mox veniam dare?
 Si quæ sunt bona, mutuò
 Miscere & positis addere nil vetat?
- Neop.* Sic antiqua novis queant
 Augeri & cumulus crescat opū recensia
 Possit foedere nobili
 Sic jungi sophiæ lucida veritas.

